

Sic propriis consuluit
otii[s] Anno 17


VITA
HONESTA, SI-
VE VIRTVTIS: QVOMO-


do quiſque viuere debeat, omni ætate, omni tempore, & quolibet loco, erga Deum & homines.

AVTORE HERMANNO SCHOTEN, HESSO.

Cui nouiſsimè adiecimus institutionem Christiani hominis, per Adrianum Barlandum Aphoriſmis digestam.








LVGDVNI,
Apud Henricum Hylarium, & Ludouicum Cloquemin.
1564.

ORATIO MANE DICENDA.

Gratias tibi pater cœleſtis ago, quòd præteritam noctem mihi volueris eſſe proſperam: precórque vt diem itidem hunc totum mihi bene fortunes ad tui gloriam & animæ meæ ſalutem, & vt tu qui vera lux occaſum neſciens, ſol æternus, omnia viuificans, alens, exhilarans, digneris illuceſcere menti meæ, né vſquam impinguam in vllum peccatum, ſed ductu tuo perueniam ad vitam æternam. Amen.



ERVDITISSIMO AC MAXIME EGREGIO VIro Ioanni Ryncx, Patritiæ familiæ apud Coloniēſes, Iuris vtriuſque doctori, Mecœnati ſuo, Hermannus Schoten, Heſſus, S.



RISCIS ſcriptoribus mos fuit, vir eruditiſsime, ingenuarū artium ſtudia literis demandare, atque mandata literis, cōſacrare amicis, aut magnatibus: ipſorum inſuper geſta, factorúmque encomia ſubinde celebrare, præſertim in librorum apijs. Quem morem nimirum commendatione dignum, & à Iouis ſeculo initiū habuiſſe, vt teſtatur Lactantius, & hoc vſq; æuum obſeruatum, cùm aduertiſſem, imitari geſtiebam. Cùm itaque ego infimæ fortunæ literariæ, inter literas

discentes vnus elapsis modò hybernis solibus, de Vita honesta, in iuuenum emolumentū, cōmentatus essem, iamq́ typographis excudendum darem: nescio quid animo mecū volutabā, cuinā eas ipsas nugas dicarem potissimùm. Omnium primū tu vir egregie, vtriusque iuris doctor, mēti occurrebas, quē deceret honestatis decorare libello. Honestatis præcepta, conueniunt honestatis cultori. Vulgus ipsum anxiè aduertit, & obseruat, vt talia missitet munera, qualis is est cui mittuntur. Dignus tu es, cui honesta vita nuncupetur institutio. Prognatus nanque es familia laudatissima: quā & ego ad astra præconio ferrem, si verba suppeterēt animo, linguaq́ eloquentia nō deesset: nūc autem vereor, ne laudes cogar tantas (vt Flaccus inqt) culpa deterere ingenij. Quare imitabor Timātē: quodq́ exprimere penicillo non possum, velo contegam: Summaq́ sequar vestigia

rerum

rerum. Honestissima tua est familia, & celeberrimi nominis: non solùm intra Colonienfium mœnia, sed passim apud exteros quoque tuorum maiorũ & fama auditur, & monumenta conspiciuntur. In ore hominum est egregia stirps vestra, ab annulo cognominata. Multas habuerunt patrũ & patruorum familias, gẽtiles illi Romani: tum Pisones, Fabios, Lentulos, Cicerones, à putridis leguminibus nominatos, aut à serendis pisis, fabis, lentibus, aut cicere. Annulus vobis cognomentũ præbet, cuius virtus nõ indignè magno reputatur. Est rotundus, quod nobilissimum figurarum est: pretioso cõstat metallo, geritur in digitis, vt omnium oculis obuersetur: connubio siue sponsæ inditur digitis, ipsius signo literæ occluduntur & cera. Hæ annuli dotes tuæ familiæ sic sunt domesticæ, vt etiam natiuæ, & cœlitus tributæ videantur. Quotquot enim vnquàm tuorum fue-

runt maiorum, aut adhuc aura vescũtur æthereà, maxima virtute polluerunt & pollent: præeminuerunt cæteris honestate. Magnates & apud vrbes, principes, & reges fuerunt. Non delituerunt squalida vita umbratica, vt olim Epimenides in antro: non obscuri vixerunt, sed in omnium conspectu eximiam prudentiam ostenderũt, tum publicè, tum priuatim. In primis hanc vrbem, totius Germaniæ facilè principem, & nulli secundam, ædificijs pretiosissimis decorarũt: ob quod olim Homerus appellauit reges κοσμήτορας λαῶν, *id est, ornatores populorum: nimirum ob id ipsum, vt refert Beroaldus, quòd ædificijs ciuitates exornare debeant, & ornatu cultuq́ue se monstrabiles præbere, Quare & olim Augustus gloriatus est, se vrbem marmoreã relinquere, quã lateritiam accepisset. Autores sunt Suetonius, Sextus Aurelius, & Orosius. Aestimat Plutar-*

chus dictum esse in Domitiani laudẽ, Aedificare gaudes. Ancus Martius quartus Romanorum rex, aedificator cum laude dicitur. Haec quàm verè, quàm bene, quàm laudabiliter de tuis possint dici maioribus, nemo erit, qui inficias ibit. Insuper & diuûm non fuerunt contemptores, vt Virgilianus ille Mezentius, sed religionem coluerunt oppidò: Horatiano praecepto, se Deo minores esse agnoscentes: & ad Deum omnium rerum suarum & principiũ, & exitum referentes. Religionis non minima pars est: extruere templa, restituere delubra vetustate labentia. In laudem Augusti dictum est, Templorum positor, templorum sancte repostor. Tuae stirpis proceres Ecclesias cõplures & aedificauerunt, & exornauerunt donis eximijs, tum & diuinis sacrificijs. Veniam ad viros ipsos, veros virtutis heroës. Auis proauisq; praeteritis, vt contractis loquar velis, à pa-

tre tuo auſpicium ſumam. Pater ille tuus nunc æthereа orbatus aura, & lumine caſſus, vir fuit omni & religione, virtute, & pietate pleniſsimus. Huius vrbis conſulari magiſtratu, & faſcibus vſus, laudabiliter vrbem ædificijs decorauit, & templis, domos egregias & regias extruxit: domicilium ſuum bibliotheca literaria compſit ex omni ſcientiarum genere libris collectis & coëmptis, vt quondam Auguſtus ille Cæſar Romanus, & nuper Florentiæ, Laurētius Medices. Deinde ad gymnaſium quoddam literarium reficiendum ære ſuo ſubueniſſet, niſi auſter floribus immiſſus fuiſſet. Literarū amator fuit: ideò gymnaſio conſtruendo inſumere argentum voluit, ideò ſupellectilem librorum intra penates collegit, ideò te, fratrémq; tuum literis imbui curauit. Virtutis cultor fuit, multis annis hanc Agrippinenſem Coloniam gubernans. Tandem feliciter fatis con

ceſsit

cessit, diémque clausit supremum. Cuius domum meritò dixero ædem Camœnarum, vt olim Augusti bibliotheca. Ipsius adhuc tres superstites sunt fratres, & tibi patrui, viri & patres celeberrimi: quorum vnus Adolphus hac in Romana Colonia Agrippinensi, principem tenet locum, fascibus consularibus iam quinta vice fungens, Rempublicam hanc iustitiæ legibus moderans, sine quibus magna regna, nihil aliud esse quàm latrocinia, autumat Augustinus. Passim Germania nostra Orientalis nunc æstuat, aut religionis contemptu, sacrorum neglectu, cæremoniarum piarum detestatione, seditione mutua, vnius in alium sæuitia. Religiosi vbique iam, vt pestes rapacésque lupi profligantur, sed hîc adhuc obseruantur & tutantur, vbi in is locorũ templa prophanantur, in equorum vertũtur stabula, cultus Dei passim intermittitur & negligitur: hîc

adhuc Deo viuitur, seruitur, & sacra fiunt. Religio fermè apud omnes vrbes Germaniæ contempta iacet, & pessundatur: hic Coloniæ adhuc viget, & floret more antiquo. Hæc omnia senatorum prudentia, prudentique regendi consilio, fiunt: inter quos hic Adolphus patruus tuus clauum, & principatum, & fasces tenet: Consul nanque huius est anni, post ipsum dealbatus à puero geritur fustis inflexibilis, in signum iustitiæ, quæ & alba, pura, & syncera est, inflexibilis, nullis neque precibus, neque muneribus à recto deuians. Horas quotidianas, & statas habet, quas audiendis controuersijs impendere memoratis solet, quibus tam humili quàm potenti, tam egestoso, quàm luculento, licet adire eum, desideria expromere, & lites explicare. & profectò nihil præstabilius esse potest, & potissimũ in consule, quàm habere horas negotiosas, à feriatis sequestratas.

Vt

Vt enim certus est siderum cursus: ita certa vita hominũ delectat, & præsertim cõsulis. Huius patrui tui domũ, meritò dicimus ædes patris patriæ: in ipsũ nanque recumbit totius vrbis salus, & prouidentia. Alius tibi est patruus, Hermannus senior, prudẽtiæ scaturigo, virtutis promus & condus, honestatis autor non minimus, commendatus regibus & principibus prudentiæ ingenuitate. A consilijs est inuictissimi nũc Cæsaris Caroli quinti & Christianissimi regis Angliæ, ob virtutem nobilitatus, ac eques (vt vocant) auratus creatus Coloniæ hîc habitans, à peregrè agentibus regibus consulitur. Domus ipsius iure Apollinis Delphici templum potest dici: ad quod procul ipsum Deum consultum veniebant Gentiles. Sic nuper autumnalibus diebus Legati regis Angliæ huc aduecti, missi ex Britannia adiutum Hungariæ regem contra impios Turcas, ad istum patruũ

diuertebantur, suo nutu & iussu pendebant, eum quotidie ac oraculum consulebant, tandem Hungariam eius consilio petebant, vt olim Apollinis monitu, Italiam versus ex Creta insula soluebant Anchoram Troiani. Patruus tibi tertius est Conradus, huius inclytæ vrbis senator prudentissimus, senio & canicie, veteres senatores Romanos referens. Post hos sequitur frater tuus Hermannus iunior, hoc anno in magistrum equitum eligendus, nisi in senatorum album delectus fuisset: futuro tamen anno illi prouinciæ præficietur. Vix tandem ad te venio vir eruditissime, iuris vtriusq; doctor, qui scientiæ cupidissimus, veterem sectatus Pythagoram, paternum solum deseruisti, Italiæ Bononiam florentissimam adijsti, gratia prudentiæ, & literarum consequendarum: ibidem decretorum docto ratu insignitus, hic legum doctor, crea tus es. Iuris vtriusq; doctor es: nunc ve

rè

rè annuli cognomentum tibi competit, integer namq; ex legibus tã ciuilibus, quàm pontificalibus decretis. Prætereà in te paternæ virtutis expressa vestigia sunt: patrẽ in te filio agnoscimus, paternas effingis virtutes: patris in te æquitas, senilis in filio prudentia paterna conspiciuntur: imò, vt eloquar quæ sentio, filius in multis similis est patri, aut tandem maior. Egæa sic Theseus, sic Pelea vicit Achilles. Tu religiosorum de obseruantia Franciscana es hospes, tu literatorũ Mecœnas. Domum tuam dignè appellabimus ædes Mecœnatis, patroni & religiosorum & literatorum. Hactenus tuæ familiæ Encomiũ: licet sciã quæ de ipsa concepi in infinitũ sublidere infra fastigia dignitatis. Scias autẽ & tu quæcunq; dixi, longè minor esse his, quæ concepi: quare in tuam stirpem hisce verbis mihi exclamare libet:

Quis laudem illius gentis, quis munera fando
Explicet, aut possit dictis celebrare labores?

Vestris laudibus si Homerus adesset (ut Hieronymi verbis utar) vel succumberet, vel inuideret. Tu tamen nihilominus munusculum hoc exiguum grato suscipito animo: memor Demosthenis, qui etiam ab anicula muliere digito demonstrari gaudebat. Recordare Artaxerxis regis Persarum: qui etiam manu haustam aquam ab operario (dum sitibundus equo insidebat) boni consuluit. Vale vir humanissime: & apud te si quis locus vacat, in album tuorum amicorum, ut cœpisti me numera. Rursum vale cum honestissima uxore tua, nunc feliciter imprægnata. Felicius faxit Deus, ut pariat: felicissimè pulchra faciat te prole parentem. Coloniæ ex ædibus meis, Pridie Idus Aprilis.

M. D. XXVII.

PRAEFATIO.



ACTANTIVS Firmianus libro secundo diuinarum institutionum inquit, post omnia in mundum creata, vltimò natum esse hominem sic dicens: Et noluit Deus hominem inducere in hunc mundum, nisi omnibus perfectis. Et sanctæ literæ docent, hominem esse vltimum opus Dei, & sic in mundũ inductũ, quasi in domum iam præparatam & instructam: illius enim causa facta sunt omnia. Quod & Gentiles poetæ testantur, vt Ouidius, dum de mundo, & omnibus creatis dixerat, sic de homine inquit,

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat: adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est, &c.

Vt scilicet rector & gubernator, ac rex creatorum omnium in mundo, & Dei vicarius. Oportet nãque prius

prius esse subditos & regnum, antequàm rex constituatur. Si igitur homo rex est: conuenit scire eius natiuitatem, imperium, & potentiam, & nobilitatem, vt de regibus vulgò scribunt Historici. Natus est homo è nobilissimo patre, Deo scilicet, ex limo terræ, vt nó nimium superbiat. Postquàm creatus erat, ex eius corpore addita est sibi fœmina: quā ac seipsū amaret, quia sciebat pater eius Deus, malè esse homini soli. Natus est, vel nascitur nudus in mundum, vt seipsum vestiat non solùm vestibus laneis vel lineis, sed & virtute: nascitur non pilosus, more bestiarum, vt pius & humanus sit, non immanis: nam pili in corpore atrocem ostendunt animum. Nascitur corpore debili, vt suis non fidat viribus ac bestię, sed Dei imploret opem. Tamen robustorum animalium rex est constitutus. Huius regis, regiæ & dotes

ſunt,quibus præpollet cæteris creatis. Aliam namque formam habet, quàm beluæ. Bruta formam habẽt pronã ad terram:homo ipſe vultum erectum ad ſydera,vt terrena deſpiciat, & cœleſtia plus amet, cogitétque ſecus ſibi viuendum eſſe quàm brutis,ob formam nobiliorem. Inſuper& reges ſuos habent conſiliarios, quorum conſiliis in regendo & gubernando vtuntur,dum ipſis amicè conuiuunt.Habent & ſuum Cæſarem,cui coguntur reddere rationem villicationis ſiue magiſtratus ſui: aliâs regno defunguntur:ſic & homini regi mundanorum addita eſt ratio,tanquam conſiliatrix,cuius conſilium ſecutus ſi fuerit, prudẽter reget & ſe & cætera terrena. Oportet quoque regem eſſe prudentem in imperãdo,vt neque ſubditos offendat, neque ſuos conſiliarios & aulicos, prouidéque habenas imperij mode-

rari, ne apud Cæsarem de se fiat querela, vt prouincia spolietur. Ita oportet hominem regem mundanorum esse prouidum, in vtendis rebus propter se creatis, præsertim homine altero proximo suo, & simili figura, sermone & ratione sibi concessis: ac quomodo placeat suo Cęsari Deo, vt diu imperio fungatur, & præmium consequatur vtile. Quomodo igitur honestè se gerere debeat, sequentia ostendent.

VITA HONESTA quid sit, ex quibus constet, & quid prosit.

CAPVT I.



VM igitur homo natus sit in mundum post omnia creata, tanquam rector & gubernator omnium, ac villicus à Deo constitutus, ipsi sic viuendum est, vt suo Cæsari Deo placeat: vt à Cæsare suo in aulam cœlestẽ reuocatus per mortem (vt solent Reges vocari à Cæsaribus humanis) possit reddere suæ villicationis & dominij rationem. Istud autem vt possit, opus erit sibi vita nobili, probata, & regia, siue honesta. Nihil autem aliud est vita honesta, quã hominem viuendo præstare brutis: & quantum per naturam fieri potest, habeat talem vitam, quę sit Deo vtcunque similis, quæ nulla alia in rè consistit, quàm in virtute. Virtus *Vitæ honestæ diffinitio.*

Virtus quid. autem, est fugere vitia, & sequi honesta: id náque virtutis, & officium & finis est. Per virtutem consistere vitã honestam & Deo placentem, testatur diuus Augustinus, dicens, Virtutem esse artem bene viuendi. *Lib. de Ciuitate Dei, 4. ca. 12*

Et Baptista Mantuanus quid virtus sit, & quid prosit homini, his verbis exprimit.

Virtutis querimonia ex Mantuano.

Fortunæ domitrix ego sum, scelerúmque flagellũ.
Vtque hominẽ tuear, superúmque in tecta reportẽ
Incolumem, Stygias omneis demolior arces.
Ars mea mortaleis ad olympia regna, Deúmque
Hortari: monstrare vias, quibus itur in altum
Aethera: sum medium dirimens iter, orbita recto
Limite, quo mõstrantur adhuc vestigia patrum.
Qua veteres cœlo digni petiere Tonantis
Limen, vbi nitidus sunt lactea flumina campis.
Nescio delitias, nullum insidiosa voluptas
Mecum fœdus habet, mihi lis de limite regni.
Cum vitijs, multúmque inter contraria pugno.
Nanque meos inter regnũ mihi contigit hostes.
Me labor aßiduus validam facit, otiã frangũt.
Et quoties opus est armis, exterrita nullis
Congredior, vinci & succumbere nescia: si quod

& ondus

Pondus ab aduersis iniectum est casibus: aequa
Mēte fero: ipsa hominē doceo, variásque per aures
Erudiens, paucis dijs immortalibus annis
Persimilem reddo: & tandem super aethera tollo.
Ipsa feros hominum docui componere mores,
Fons ego Castalius, Pallas ego: nomina plura,
Res eadem: non sum morbo confecta, nec annis:
Incorrupta virens, immortalísque superstes.
Caelestes etenim nihil in me motibus orbes,
Sydera nil radijs possunt, nil lumine Titan.
Post igitur tantorū operū experimenta, fidémque
Deseror: ignotis errans ingloria campis.
Patrono mea causa caret, quia pectora plena
Perfidiae fastúque animos tollente superba
Sceptra scelus rapuit: positis custodibus omnis
Scrutatus regni fines, aditúsque tuetur.
Relligio contempta iacet, spretúsque Deorum
Cultus abit, tritaque fides iam pallida veste,
Infirmis titubat pedibus: pessundata legum
Maiestas: tot monstra pios immania mores
Inuasere: silet probitas: pudor exulat omnis.
Sed videt, & iusta librat Deus omnia lance.
Et me (vbi tēpus erit) ipse in mea regna reducet.

Vtinam nostro aeuo.

Plutarchus etiam apertiùs exprimit quid virtus doceat: ipsam sub nomine philosophiae describens in li-

bro de educandis liberis, dicens, per eam ſcire quid honeſtũ ſit, quid turpe, quid iuſtũ, quid iniuſtũ, quid diligendũ, quid fugiẽdum: quomodo parẽtibus, quomodo natu grandioribus, quomodo peregrinis, magiſtratibus, amicis, vxoribus, ac ſeruis vtendum ſit: vtque deos veneremur, parentes honoremus, ſeniores reueeamur, legibus obtẽperemus, magiſtratibus cedamus, amicos diligere oporteat. In mulieres ſeruare modeſtiam, charos habere liberos, nõ ſeruire cum ſeruis: & quod maximum eſt, in proſperis fortunæ ſucceſsibus lætitia nõ effundi, nec in aduerſis caſibus triſtitia deprimi: nec omnino voluptatibus eſſe deditos: nec ita per iracundiam effici, vt beluarum animos induamus, quarum natura eſt eſſe immanes: hominum autem eſt humanitatem & pietatem colere.

Lucillius poëta virtutem ſic deſcripſit:

Virtus Albine eſt, pretium perſoluere verum.
Queis inuerſamur, queis viuimus rebus adeſſe.
Virtus eſt homini ſcire id, quod quæq; habeat res.
Virtus, ſcire homini rectũ, vtile, quid ſit honeſtũ.
Quæ bona, quæ mala, item quid inutile, turpe, inhoneſtum.
Virtus, quærendæ rei finem ſcire, modúmque.
Virtus, diuitijs pretium perſoluere poſſe.
Virtus, id dare, quod re ipſa debetur honori.
Hoſtem eſſe, atque inimicum hominum, morúmque malorum,
Contrà, defenſorem hominum, morũmq; bonorũ.
Magnificare hos, his bene velle, his viuere amicũ.
Commoda præterea patriæ, ſibi prima putare:
Deinde parentũ: tertia iam poſtremáque noſtra.

Diuiſio virtutis.

Secũdum Ciceronẽ primo Officiorum, quatuor ſunt fontes virtutis, ex quibus aliæ ſcatent, & omnis oritur honeſtas: ſcilicet prudentia, iuſtitia, temperantia, & fortitudo. Quarum quatuor officia ſunt diuerſa, teſte Macr. in lib. de Somnio

Scipionis,qui ipſis hæc adſcribit munera,dicens:

Prudentię eſſe,cognoſcere,& addiſcere,quomodo omnia ſint agenda:nihil velle quàm quod rectū eſt, neque facere humanis actibus, diuino ingenio proſpicere : prouidere pericula futura,& ab illis ſibi cauere.

Fortitudinis autem officium eſt, non timere pericula : nihil metuere niſi turpia , forti animo tolerare aduerſa & proſpera. Fortitudo præſtat magnanimitaté,fiduciam,conſtantiam,ſecuritatem,magnificentiam, tolerantiam,& firmitatem.

Temperantiæ eſt , nihil appetere pœnitédum:in nullo legem moderationis excedere : ſub iugo rationis cupiditaté domare. Temperantiam ſequuntur , modeſtia , verecundia, abſtinétia,caſtitas,honeſtas , moderatio,parcitas,ſobrietas,pudicitia.

Iuſtitiæ eſt ſeruare & cóferre vnicui

cuique quod ſuum eſt. De iuſtitia naſcuntur hæ virtutes, Innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. Cicero primo Officiorum, inquit, Primum officiū iuſtitiæ eſſe, vt nemo alteri noceat, niſi prius iniuria laceſsitus. Secundò, vt communibus rebus vtatur, tanquam communibus: propriis autem vt ſuis. Fundamentum omnis iuſtitiæ eſt fides, ſcilicet dictorū conuentorúmque conſtantia & veritas. Lactātius libro ſexto ait, duplex eſſe iuſtitiæ officium. Primum, coniungi cum Deo per religionem. Secundū, cum homine per miſericordiam & humanitatem. His virtutibus, dicit Macrob. vir bonus, primùm ſui & ſuorum, deinde reipublicæ rector efficitur, iuſtè ac prouidè gubernās humana, diuina non deſerens. Cap. 10

De virtutis & vitæ honeſtæ præmio.

Vitæ honeſtæ ſiue virtutis, ſi quis

officium & pręmium quæsierit, sciat proprium eius officium esse duplex. Primò beare, id est, hominem facere beatum, post mortem, & in hac vita, ipsique Deo similem: Ideò Vergilius cecinit:

Pauci, quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

Vel secundum Lactantium lib. 6. Officium virtutis est, iram cohibere, cupiditatem compescere, libidinem frenare. Secũdo, suum alumnũ omnium verè ditissimũ reddit: adeò vt nullius egeat, sed omniũ habeat copiã, teste Plau. in Amph. Comœd. sic dicẽte, Virtus omnibus rebus anteit profectò: libertas, salus, vita, res, parentes, & prognati tutantur & seruãt. Virtus omnia in se se habet: omnia adsũt bona, quẽ penes est virtus.

Nullius autem præmij vulgaris, & quod ab omnibus datur, cupida est virtus, neque honoris, neque glo-

riæ, teste Sillio poëta:

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Cui & Claudianus poëta hisce alludit versibus.

Ipsa quidem virtus pretium sibi solàque latè
Fortunæ secura nitet: nec fascibus vllis
Erigitur, plausúve petit clarescere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animosa suis, immotáque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Horatius:

Virtus repulsæ nescia sordidæ:
Intaminatis fulget honoribus.

Neque opes vel diuitias desiderat in præmium: quia illis est longè nobilior, teste Horatio: *Carmi. lib. 3 Ode 2.*

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Ideò Macr. in li. de som. Scip. inquit: Fructũ & præmium virtutis, homo sapiẽs in cõscientia ponit: minus autẽ perfectus qui est, in gloria. Iubétq; ibidẽ Macr. Vt si quis in virtute perfectus fieri cupit, vt cõtẽtus sit in cõsciẽtiæ præmio, id est, quòd scit virtutes, gloriam non requirat. *Lib. 2 cap. 10*

Quomo

QVOMODO SIT acquirenda Vita honesta, siue Virtus.

CAPVT II.



ONESTAM vitam siue virtutem, qui assequi cupit, huic duo sunt necessaria. Primò, vt animum suum præparet, quo dignus fiat virtute & honestate. Secundò, vt discat quomodo animo iam præparato, Virtus sit adipiscenda. Præparatio animi fieri debet per tria: scilicet per voluntatem promptam, quòd scilicet voluntas eius sit, velle virtute proficere. Magnum nanque est calcar ad honestatem velle honestus fieri. Nihil difficile est volenti: sicuti difficilius nihil est, quàm inuitum cogere velle. Ideò & prouerbiũ est: Sultum est, canes inuitos ducere venatum: id est, compellere ad studiũ aliquod

aliquod hominem inuitum, nolentem, & recusantem. Quare Comicus dixit; nihil tam facile est, quin difficile fiat, si inuitus facias. Lactantius libr. primo insti. Christianarũ, dicit: Quòd virtus colenda est, non imago virtutis: & colenda est, non sacrificio aliquo, ture aut precatione solenni, sed voluntate sola, atque proposito.

Habita volũtate & amore acquirendi virtutem, duobus aliis praeceptis, & animus ille voluntarius fulciendus est, & praemuniendus, scilicet patientia, & abstinentia, vt patiatur multa, & abstineat à rebus praesertim voluptuariis.

Opus est patientia magna virtutem cupienti; vt patiatur tum aduersa, tum laborem. Patiatur aduersa, & vt Vergilius ait in li. vj. Aeneidos, Non cedat malis: sed contrà audentior eat. Nam secundum Valerium libro sexto: Eneruos animos virtus

odisse

odisse solet: id est, Virtus illos odio habet, qui sunt animis timidis, ad nihil audentes, & nullius cõstãtiæ. Patientia & abstinentia esse opus ad virtutem acquirendã, indicat Horatius hisce versibus:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudauit & alsit,
Abstinuit Venere & Baccho.

Prudẽtius quoque ille poëta Christianus his decẽ versibus ostendit ad virtutem, opus esse patientia, dicẽs:

Omnibus vna comes virtutibus associatur:
Auxiliúmque suum fortis patientia miscet.
Nulla anceps luctamen init, virtute sine ista.
Virtus nam vidua est, quam non patiẽtia firmat.
Desine grande loqui, frangit Deus omne superbũ.
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cauere
Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris.
Peruulgata viget nostri sententia Christi:
Scandere celsa humiles, & ad ima redire voraces.

De abstinentia.

Abstinẽtiam etiam rerum volupta-

ptatiarum ad virtuté nanciſcendam eſſe neceſſariā, permulti eruditi ſunt teſtati. Cic. lib. 4. nouæ rhetoricæ, inquit: Qui nihil in vita habet iucũdius vita, ſcilicet voluptuaria, is cũ virtute vitam colere non poteſt. Valer. Maxi. lib. 4. Quæ vrbs voluptati plurimum tribuit, imperium maximum amiſit, & libertatem tueri non potuit: quæ auté labore eſt delectata, imperium ſeruauit, & libertatem aliis donare potuit. Lactan. lib. 6. ſcriptum reliquit, quòd triplex ſit gradus virtutis. Primus eſt, à malis abſtinere operibus: ſecundus, à malis verbis: tertius, etiam à cogitatione malarũ rerum. Qui primũ gradum aſcẽdit, ſatis iuſtus eſt, qui ſecũdum iam perfectæ eſt virtutis, ſiquidé neque factis, neque ſermone delinquat: qui tertiũ, is verè ſimilitudinẽ Dei aſſequutus videtur. Eſt enim penè ſupra humanum, ne cogitatione

quidē admittere, quod ſit vel factu malum, vel improbum dictu.

Eſt igitur cuilibet virtuti ſtudere volenti opus patientia & abſtinentia.

Patientia, vt aduerſa & laborem æquo animo ferat, otium deteſtetur ſudorem & laborem amplectatur. Nam Heſiodus poëta dixit: Deos virtutē poſuiſſe in altum & arduum vt per ſudores multos & anxios, eā quærere oporteret. Hinc philoſophi multi plus olei quàm vini cōſumpſerunt, plurimum ſudoris pertulerūt, parum vel nihil otij egerūt. Otium enim virtutē debilitat, labor ipſam confortat. Abſtinentia etiā opus eſt, vt à vitiis abſtineatur. Eſt namque virtus, teſte Horatio, nihil aliud, quàm fuga vitiorum.

Animo ſic inſtructo & præparato, ſcilicet ſpontanea voluntate, patientia & abſtinētia, quis ſit modus acquirendi tum virtutem, tum honeſta

nestatem, perscrutandum est ab eruditorum scriptis & libris. Tradunt literarum autores, præsertim Laërtius in lib. de vitis philosophorum, quamlibet disciplinam tribus rebus indigere, scilicet natura, documento, & consuetudine, id est, ingenio, scientia, & exercitio.

His tribus ad virtutem opus est.

Ingenio nimirum acri, acuto, nõ agresti vel Bœtico. Nam Plato dixit, sapientem, id est, virtute præditum, nullum perfectum esse posse, nisi cæteris ingenio præstet & artibus, ac prudentiæ partibus imbutus sit. Ingenio excellenti & præstanti omnes, tot quot olim fuisse legũtur philosophi, ingenijs floruerũt. Hinc Lactantius dixit lib. j. duos esse gradus sapientię: primus, falsa intelligere: secundus, vera cognoscere. Omnis autem intellectus & cognitio cõstat & fit ingenio polito & compto.

Idem Lactantius lib. ij. ait: quòd sapientiam sibi adimunt illi, qui sine vllo iudicio inuenta maiorum probant, & ab alijs more pecudũ ducuntur. Quare ingenio opus est, tum ad virtutem acquirendam, tum aliorũ præcepta dijudicanda. Ingenio nostro, inquit Cicero in Tusc. quæstionibus, innata sunt semina quædam virtutum: quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitã natura perduceret. Si innata sunt nostris ingenijs semina quædam virtutum, certum est ex ingenio tanquàm thesauro progigni ipsas virtutes: per ingenium ipsum virtutes aut perscrutari quẽlibet, aut à docente melius imbibere & addiscere. Ideò veteres philosophi in disciplinam vel eruditionem suscipiebant nullũm, nisi eius ingeniũ prius perlustrassent & perscrutati essent: quod si obtusum fuerat, erudiendum non suscipiebant.
Nam

Nam, vt refert Quintilianus, cui ingenium deest, illi non magis prosunt precepta, quàm sterilibus agris cultura: quantumuis colantur, fructum tamen non proferunt. Nulli tamen desperandum, cui ingenium contigit infœcundum, sed labor vehementior suscipiendus & subeundus, quo tandem duricies ingenij vincitur, teste Quintil. lib. j. cap. j. Præstat ingenio alius alium, sed ita vt plus efficere posit aut minus: nemo tamen est qui labore & studio nihil sit cõsecutus. Et si non vt optimus quisque fieri potest, ideò tentare omittere non debet: nam vt Horatius inquit: *Est quôdam prodire tenus, si non datur vltra,* id est, mediocrem facere profectum etiam & laudatur, si progredi non licet per ingenij ruditatem.

Inter ingeniosum tamen & ingenio carentem, duplex est differẽtia.

Prima: ingenioſus vltrò & velociter virtutem conſequitur, inſtar equi citati curſu, qui fræno retinendus eſt. Rudis verò ingenio, ſimilis eſt equo, qui ad curſum calcaribus eſt adigendus: ſic ingenium rude labore eſt acuendum. Hinc de Iſocrate refert Quintilianus, qui duos habuit diſcipulos, Ephorum & Theopompum, alterum ingenioſum, quem dicebat egere frænis: alterum rudis ingenij, cui calcaribus opus eſſe dictitabat. Secunda differentia, Ingenium nobile non diu durat, vel quæ didicit, minimè retinet: vt præcocia illa poma citò putreſcunt, ſed dura & agreſtia molleſcunt ſerius, at durant longè diutius. Ingenium itaque durum labore etiam virtuti adaptatur. Nam Eraſmus inquit: Eruditione molleſcunt ingenia.

De diſciplina, ſcientia: ſiue inſtructione.

Poſt ingenium, & arte ſiue inſtru-

ctione

ctione opus est: non enim sola natura vel ingenium sufficit, nisi & instructio accedat, quæ quod à natura imperfectum est, perficit. Ideò inquit Cicero lib. iij. nouæ rhetoricæ: quòd ars naturæ commoda confirmat & auget. Deinde in eadem rhetorica lib. iiij. refert Cicero: Vt equus indomitus, quamuis bene natura cõpositus sit, idoneus nõ potest esse ad eas vtilitates & artes, quę desiderãtur ab equo: ita neque homo indoctus, quanuis sit ingeniosus, ad virtutem potest peruenire, quoniam nõ potest virtus sine doctrina comparari.

Hinc quondam ducti Gentiles illi, scholas publicas erexerunt, primùm Athenis vrbe Græciæ excellentissima tunc temporis, & alijs in locis, vt in ipsis iuuentus instrueretur & scientia & moribus probis, quę duo sine instructione ægrè acquiruntur. Ideò Aristippus Philo-

ſophus indoctum & literis non eruditum, ſaxo & lapidi comparabat. Quæſitus enim quondam à patre quodam, quid filio ſuo prodeſſet, ſi literis inſtrueretur: reſpondit, Et ſi nihil aliud, ſaltem in Theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem, nō erit apud doctos tanquàm lapis. Virtutem acquiri inſtructione ſciebant Ethnici, qui pædagôgos domi habuerunt, ſub quorum ferula, ipſorum filij artes & virtutem diſcerent: id quod Athenienſibus vſqueadeò religioſum fuit, vt legem ſtatuerint: quòd filij non deberent cogi ad alēdum parētes ſenio confectos, niſi in iuuētute ab ipſis eſſent præceptorib⁹ ad inſtruēdū cōmiſsi, & virtute imbuti. Ad virtutē acquirendū, duplici opus eſt inſtructione, muta ſcilicet & viua. Mutā dāt ipſi libri, qui legūtur, qui docēt, tamen ſine vocis ſono. Altera præceptorum eſt viuorū, qui

ore

ore viuo proferunt & infundũt præcepta virtutis auribus adolescentũ. Plus tamen viua præstat eruditio, quàm muta. Ideò veteres quidã philosophi leguntur varias terras fuisse emensi, neque vllas reliquisse inaccessas. Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad percipiendã virtutem nauigauêre peregrè, hãc peregrinationibus susceptis inuestigauêre. Non contenti fuerunt umbratico & lucernario studio, quod intra parietes habuisse potuissent: sed aliò se contulerunt, vbi quid esset, quod discere deceret: vbi eruditos sciebant, nõ libros, sed philosophos & instructores literatos.

Quatuor autem præcipuè autorum libri sunt legendi: scilicet poëtarum honesta scribentiũ, historicorũ, philosophorum, & sacræ scripturæ. Poëtæ honesti ad vitam honestam vsqueadeò conducunt, vt olim

Autorum libri qui legendi sint.

ciuitates Græcorum eruditiſsimæ, liberos ſuos in poëtis primùm erudirent: ſolum poëtas, ſapientes eſſe dictitantes. In poëtis pueri virtute inſtruuntur, vt veriſsimè dixit Horatius in Epiſtolis:

Os pueri tenerum balbúmque poëta figurat:
Mox etiam pectus præceptis format amicis.
Inſtruit exemplis, inopem ſolatur, & ægrum.

Secundò, libri hiſtoricorum, qui nobis egregiorum heroū geſta, mores, & fortunas proponunt. Ex quorum vita laudabili, & bene viuendi modus acquiritur: & ex temeritate aut infelici ipſorum caſu cautiores fieri licet: id quod pulchrum eſt, aliorum inſania frui. Ideò Diodorus dixit: Pulchrum eſt ex aliorum erratis in melius inſtituere vitā noſtrā: & quid appetendum, fugiendúmue ſit, ex aliorum exemplis poſſe cognoſcere. Hiſtoria, inquit Beroaldus, ad id quod honeſtum eſt, inflammat,

dete

deteſtatur vitia, probos extollens, improbos deprimens. Tertiò philoſophorum libri, qui de virtute præcepta dederunt: vt ſunt Ethicorum decem libri Ariſtotelis, Ciceronis tres libri Officiorum, Lactantius de Diuina inſtitu. Eraſmus de inſtituẽdo principe Chriſtiano, multíque alij, qui honeſtum viuendi modum deſcripſerunt. Quartò, ſacræ ſcripturæ libri, qui Deum agnoſcere docent: quem agnoſcere vt creatorem omnium, ipſúmque eſſe vnum, eſt vera hominis ſapientia, vt inquit Lactantius libro ſecundo.

Deum agnoſcere, vera hominis ſapientia.

Paupertatem non obſtare virtuti.

Non eſt quòd quidam paupertatem incuſent, quò minus virtuti ſtudeant. Paupertas nanque olim (vt inquit Apuleius) Philoſophis fuit vernacula. Et quemcunque conſtat in aliquam veniſſe laudem, illũ paupertas ab incunabulis eſt nutrita.

Paupertatis laus. Paupertas vetera apud ſecula, omnium ciuitatũ fuit conditrix, omniũ artium repertrix, omniũ peccatorũ inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta eſt. Hæc Apuleius. Si quis igitur paupertate premitur, ſequatur Cleantẽ philoſophũ, qui inopia coactus, nocte aquas pretio hauriebat, vt interdiu victum haberet, quò cõmodius literis incumberet. Laboret etiã & ille, dum tẽpus eſt, vt mereatur vnde viuat, & virtutẽ cõparet, quę etiam & laborãtibus manu, aduenit. Hinc Seneca dixit: Virtutem *Lib. de vita beata ca. 7* in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentẽ manus. quo nihil aliud videtur oſtendere, quàm quòd etiã laborioſos homines virtus adamat, & amplectitur.

An ſine doctrina poſſit virtus acquiri.

At diceret aliquis: Multi indocti

ſunt, neq; vnquàm literas didicerũt, & tamen honeſti viri habiti ſunt, & æſtimati. Reſpondendum eſt, quòd vtique multi ingenio optimo ducti ſunt ad virtutem ſine doctrina, teſte Cicerone in libris Orationum ſic dicẽte: Ego multos homines noui, excellenti animo, & virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu propè diuino per ſeipſos: & moderatos, & graues extitiſſe vidi. Etiam illud adiũgo ſæpius ad laudẽ & virtutem: Naturam multò melius ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque idem ego contendo, cùm ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam, cõfirmatióque doctrinæ: tum neſcio quid præclarum atque ſingulare ſolere exiſtere. Hæc Cicero.

De exercitatione.

Præter ingenium & ſcientiã, tertiò exercitatione diligenti vtendum

eſt: aliâs nequicquàm ſtuderet quiſpiam pro virtute acquirenda. Teſte enim Cicerone tertio lib. nouæ rhetoricæ: In omni diſciplina infirma eſt artis præceptio, ſine ſumma aſsiduitate exercitationis: tum verò in memorijs minimum valet doctrina, niſi induſtria, ſtudio & labore, & diligentia comprobetur. Et Lactãtius libro tertio inquit: Artes ideò diſcũtur, non vt ſciantur, ſed vt exerceantur. Exercentur autem vel ad vitæ ſubſidia, vel ad voluptatem, vel ad gloriam. Cicero in Officijs ſcriptum reliquit, Quòd omnis laus virtutis non in cognitione, ſed in actione conſiſtit: id eſt, parum eſt noſcere, vel ſcire, quid virtus ſit, quid honeſtum, & quid vitioſum, niſi & ipſam operemur virtutem.

Erit autẽ hæc exercitatio ſciẽtiæ cognitæ vel auditæ pro virtute acquirẽda.

Ex quatuor illis libris, ſcilicet poëtis

tis, hiſtoricis, philoſophis, & ſacra ſcriptura, ſi fructum & commodum veræ virtutis & honeſtatis cupimus, apum in colligendo melle ſequamur conſuetudinem, oportet. Solent apes mel congerentes, varios circum volitare flores, multos deguſtare floſculos, ſucci aliquid exugere, deinde nonnihil humoris ſecum aduehere in aluearia, quod deponunt, & conſtipãt in mel futurũ: ídque ſępius fà ciendo tandem multum coaceruant mellis, dulce laborum pręmium. Nõ ſecus & literarum, & virtutis quiſque ſtudioſus qui fuerit, & aliquando in virum euadere cupit, quadruplicem debet habere exercitationem. Prima exercitatio, vt ex illis, quæ legit, vel audit, vtilia quæ erunt ad eloquentiam vel virtutem, illa excerpat in librum raptitium, tanquàm memoriæ cuſtodem, quicquid vſquàm legerit, quod eloquen-
tiam

tiam iuuat vel virtutem. Nam vtraque re opus est egregio viro, teste Cicerone primo libro veteris rhetoricæ, sic dicente: quòd sapiētia sine eloquentia parum prosit ciuitatibus: eloquentiam verò sine sapientia plerunque obesse, prodesse nunquam. Habebit igitur quisque studiosus libros raptitios duos, in quos audita vel lecta excerpat. In vnum, quod eloquentiam, in alterum id quod virtutem docet: instar auari thesaurū colligentis, qui diuersos habet loculos, in quos argentum seorsum, & in quem aurum solum deponit. Hæc exercitatio fuit Plinij Naturalis historiæ autori, de quo scribit Plinius secundus, eius auunculus in epistolis, quòd nihil legit, quod non excerperet. Secunda exercitatio: excerpta memoriæ includat, cogitétque se illis quandoque velle vti, teste Macro- Cap. 1 bio libro sexto: Saturnaliûm dicēte.
Hunc

Hunc eſſe optimum modum legendi vel audiendi, imitari ea quæ in aliis probas: & quæ maximè miraris inter dicta aliorum, illa in aliquem vſum tuum conuertere. Id quod Latini inter ſe fecerunt: ſimul & Græci excellentes viri ſolebant. Hæc Macrobius. Non enim illud eſt autorem aliquem audire, diſcere eius verba, vel orationes intelligere: ſed ex ſuis ſcriptis ſibi eloquentiam & rectè viuendi modũ colligere: ſicuti non prodeſt cibus corpori, ori & faucibus impoſitus ſolùm, niſi & in ſtomachum deſcendat, & ibi concoquatur, & tandem in ſanguinem ac carnem vertatur. Ita neque lectio audita vel lecta prodeſt, niſi in loquendi vſum, & magis ſapiendi conuertatur. Tertia exercitatio hæc erit: vt in dies aliquam lineam ducat: exemplo Apellis pictoris, qui quotidie quantunuis occupatus eſſet, ad minus tamẽ lineã

pin

pinxit,vel traxit.Sic & auari ſolent, qui in dies numum vnum ſeponunt, in futurum theſaurum. Parua namque puſillis ſæpe addita,multa tandem fiunt teſte Heſiodo poeta.

Paruula ſi tentas ſuperadiecisse puſillis:
Idq; frequẽs peragas,magnus cumulatur aceruus.

In hac exercitatione laborandum non eſt,vt in dies quàm multum diſcamus.ſed vt quàm doctè & bene. Ideò Apelles cuidam pictori indocto,gloriãti quòd imaginem quandam ſubitò & citò depinxiſſet, reſpondit:Non demiror illud:nam & multò plures tam ineptas imagines, citò pingere poſſes. Quare Catonis eſt ſequenda ſententia: Sat citò,ſi ſat bene.Inde Auguſto Cęſari adagium fuit: Matura lentè:id eſt,feſtina lentè in opere,id eſt,prudenter non nimium.plus enim prodeſt progreſſus parum velox,& prouidus,quàm velociſſimus ſine arte & ratione. Quar

Suetonius in Auguſto.


ta & vltima exercitatio, vt ad vesperam per diem audita vel lecta, repetantur: quem morem Catoni fuisse dicit Philelphus libro secũdo de puerorum educatione: & Apuleius scribit de quibusdam in India, qui vocabantur Gymnosophistæ, qui neque terram colere sciuerunt, neque agros arare, neque equos domare, nec taurum subiicere, nec ouem tondere; tamen mirum in modum sapientiam colebant, & magistri senes, & discipuli iuniores: nihil tam odio habentes quàm animi torporem & otium, Postquàm mensa erat strata, priusquam edulia apponerentur, omnes adolescentes ex diuersis locis, & officijs ad dapes cõueniebant: tum magistri rogabant eos, quid boni à lucis ortu, ad illud tempus diei fecissent. Tum vnus commemorabat se inter duos fecisse pacem, & concordiam: alius parentibus quippiam

imperantibus obediuiſſe: alius meditatione ſe aliquid excogitaſſe: alius quippiam ſe didiciſſe. Qui aũt nihil afferre, vel dicere poterat: foras impranſus ad laborem extrudebatur. Hęc Apuleius. Sic & ſtudioſus quiſque ad veſperam apud ſemetipſum ſequatur ouium naturam, quę veſperi in ſtabulis, è paſcuis pulſæ, ruminant, id eſt, rurſum edunt, & dentibus cõterunt pabulum in die decerptum. ſimul & paſtori ſuo lac præbent de gramine per diem decerpto. Sic & ſtudioſus virtutis, lecta vel audita, veſperi repetat, tam quæ ad eloquentiam, quàm quæ ad virtutem conducunt. Secundò, ea ipſa in lac vertat: id eſt, in vſum vtilem, & honeſtum ſuæ vitæ vſurpet, & erga alios exhibeat id in quo profecit: ſicuti oues ſuo paſtori ſe oſtentant lacte per diem gramina ſe corroſiſſe, non otio diem tranſegiſſe. Proderit & hoc

non parum, imò maximè cum alio certare, vter in eloquentia, vel virtute plus progreſſus ſit. Tum enim quiſque experitur, quantum, aut ſciat, aut neſciat, dum cum alio ſe confert. Ideò ſcribit Suetonius in libro de illuſtribus grammaticis, quòd olim in ſcholis literariis hic mos fuit, vt ſcholaſtici ante meridiem inuicem diſputarent: ſed poſt meridiem ſepoſitis libris declamitarent.


***

Deus ſolus adorandus eſt
Ergo ſancti non ſunt adorandi



APVD SEIPSVM quis decor, virtus vel honestas seruanda sit, in omni ætate.

CAP. III.



IRTVTIS, siue honestatis vita consistit in duobus: scilicet ornatu suiipsius, deinde in honesta actione erga alios, teste Macrobio, in Somnium Scipionis, libro primo, capite septimo, dicente: quòd per virtutem vir bonus, redditur primum suiipsius rector, deinde reipublicæ. Primũ decet seipsum regere, & rectè instituere, priusquam aliũ doceamus. Hinc quæsitus Thales Milesius philosophus, quis verè rex esset, respondit: qui seipsum regit, ne ipsi dicatur. Tecum habita, vt noris quàm sit tibi curta supellex. Quomodo autem deceat

ceat per virtutẽ instruere aut regere seipsum, sedula opera discẽdum est, & sequẽtia vtcunque demõstrabũt.

Sex præcepta seruanda illi, qui seipsum honestè & instruere & regere vult.

Primum præceptũ, discat tacere. Silentium plus adamet, quàm loquacitatem. Taciturnitas enim prudentem virũ indicat: sed garrulitas stultum, qui tacere nequit. Tacendo (inquit Macrobius Saturnalium libro septimo, capite primo) Philosophus, non minus philosophatur, quàm loquẽdo, id est, non minus est signum sapientiæ tacere, quàm loqui. Hinc, vt ait Apuleius, Pythagoras primùm hoc nomine philosophus vocatus, nihil prius docuit discipulos suos, quàm tacere: primáque eius instructio discipuli, futuri sapientis, erat linguam coërcere, & verba premere intra vallum dẽtium. Socrates quo-

que interrogatus à quodam, quomodo quis sapiens fieret, duo præcepta ipsi dedit: primum, vt taceret sæpius, quàm loqueretur: alterum, vt loqui disceret. Tacendum esse sæpius, quã loquendum, patet per tria signa. Primò per naturam, quæ contulit homini os vnum, & aures duas, vt minus loqueremur quàm audiremus. Secundò, per veterum Romanorum consuetudinem. Solebant enim Romani pingere Angeronam, Deam silentij, ore sera obsignato. & Aegyptij Harpocratem Deum silentij depinxerunt, duobus digitis os occludentem. Tertiò, per antiquorum philosophorũ doctrinam, qui nihil vsque adeò damnabant in homine, quam multiloquium, dicentes: ideò naturam dedisse homini dentes, & labia ante linguam, vt ipsam cóprimerét, ne nimiũ effutiret. Ideo Xenocrates philosophus, quæsitus de suo silen

ſilẽtio,reſpondit: Se nunquàm pœnituiſſe quòd tacuiſſet, ſed perſæpe quòd locutus fuiſſet. Secundũ, præ- loqui diſcat, quæ ſcilicet verba loqui deceat: non mendacia, neque ficta. Nam qui audet loqui ficta, & non viſa: niger eſt, teſte Horatio. Neque ea verba, quæ, vt Plinius inquit, ſunt reditura per iugulum, id eſt, loquẽti nocitura: neque verba detractatoria, quibus alteri honor detrahitur: neque verba arcana, aut inter pocula dicta, ſed ſolùm ea quæ honeſta ſunt, pudica, vtilia, & vera. Cætera omnia tacenda ſunt virtutis cultori. Ideò Ouid. dixit:

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus:
Et contrà, grauis eſt culpa tacenda loqui.

Inloquendo igitur hæc lex eſt ſeruanda: vt locuturi nos videamus, an deceat pro loco, pro tempore, & quo ad præſentes alios. Secundò, tum loquamur, quando ſilentiũ aut nobis,

aut aliis est nociturum. Tertiũ præcaueat, vt nequid nimis agat, vel faciat, id est, vt in omnibus rebus modum obseruet: neque nimium agat malum, neque nimis modicè quod bonum est. Terentius in Andria, scena prima: Nam id arbitror adprimè in vita vtile esse, Vt ne quid nimis, id est, mediocritas seruetur. Hinc eruditi dixerunt: Virtutem in medio positam.

Horatius:

Est modus in rebus: sunt certi denique fines:
Quos vltra, citráque nequit consistere rectum.

Virtus consistit in mediocritate: & in excessu vitium est situm. Quare in omni re mediocritas & modus laudantur, excessus semper vituperatur. Indè Hesiodus poëta dixit: Dimidium plus toto, id est, plus laudatur in reb⁹ mediocritas, quàm ipsa nimietas: Nam & vulgi prouerbium habet: Omne nimium in vitium

verti

vertitur. Cleobulus Lyndius vnus ſeptem ſapientũ Græciæ, dixit: Optimus eſt modus in re qualibet. Quartum præceptũ, Vitet & fugiat illud, quod ipſe in altero carpit, teſtimonio Diogenis philoſophi dicentis: Si vis bonus, & virtute præditus effici: expelle à te, quod in alio deſpicis. Et Cicero dixit: Omni carere vitio debet is, qui in alium paratus eſt dicere vitium. Facillimè autẽ & acerrimè aliorum cernimus crimina, ſed noſtra ignoramus & celamus.

Si quis in ſeipſum deſcenderit, & ſecũ perpenderit qualis ipſe ſit, animo nempe iuxtà vitioſo: tum ceſſabit mordere alium, & prius ſeipſum à vitiis purgabit, virtutéque ornabit. Ideò ſaluator noſter IESVS CHRISTVS in Euangelio, ad virtutem nos hortaturus, iuſsit: Vt prius ex oculis noſtris trabem eiiceremus, tum deinde alteri feſtucam:

nos prius curaremus, nobis medicaremur, tum aliis.

Quintum præceptum, Vtranque fortunam ferre discat, prosperã scilicet, & aduersam: nõ nimiũ exultet in fortunæ prosperitate, ne subitò mutata fortuna, ipsum nimiũ perturbet, & contristetur. Neque in aduersitate nimium doleat, exemplo Socratis, qui in vtraque fortuna, eodem vultu & animo fuisse legitur. Ideò & Plato olim quæsitus, per quod homo sapiens agnosceretur, respondit: Homo sapiens cùm vituperatur, non irascitur, & nõ extollitur nimiũ, cùm laudatur. Virtus nãque superbiam nescit, quia vitiũ est: neque desperationẽ & iram admittit, quia etiã vitia sunt. Quare vulgò est prouerbiũ: Qui homo in aduersis rebus pusilli est animi: ille nauci non est. In vtraque igitur fortuna, prospera siue aduersa, sequẽda est cõsuetu

do

do cuiusdã philosophi, qui in rebus prosperis tristabatur, sciēs post læta, ventura tristia: in rebus aduersis lætabatur, expertus post malum sequi bonũ. Nã mutabilis est fortuna. Ita & nos in prosperitate cogitemus tristitiã aliquã sequuturam. Nam teste Plauto in Amphitri. Ita diis visum est, voluptati vt mœror comes subsequatur. In aduersis ita cogitemus: Dabit Deus his quoque finē, vel illud Vergilij: Et hæc (scilicet mala) olim meminisse iuuabit. Sextum & vltimũ, Studeat placere bonis & prudētibus: quibus placere, maxima, & laus & virtus est. Nam qui illis placet: eum oportet quoque aut bonum esse, aut saltē fieri. Boni nanque non nisi bonos amãt, & mali malos. Debere autē illũ laborare, vt bonis placeat, qui virtutem exoptat, liquet ex Seneca, dicente: Aliquis vir bonus eligendus est nobis, ac semper

ante

ante oculos habendus, vt ſic viuamus, tanquã illo ſpectante & oĩa faciamus, tãquàm illo vidente. Facilè enim ille bene viuet, & ſecũdũ virtutẽ, qui ad voluntatẽ & regulã, vel ante oculos bonorũ viuit, & verſatur: nõ ſecus ac ante ſpeculũ mulieres ſeſe ornantes, tandẽ venuſtiſsimè ornatæ, prodeunt in publicum.

De diuerſarum ætatum moribus & virtutibus

Virtus, ſiue honeſtas, hominẽ licet deceat, & ornet: tamen ætate diuerſa diuerſi mores honeſtatis exigũtur. Nam prouerbium eſt: Alia vita, alia dieta, alios mores poſtulat. Non enim eadẽ cõducunt omni ætati: ſed alia decent pueritiam, alia iuuentutem, alia adoleſcentiã, alia virum, & ſenem. Cum ætate nanque mutatur natura: ideò & mores ſunt variandi. Sunt autem ſex ætates hominum: ſcilicet infantia, pueritia, iuuentus, ado

adoleſcentia, ætas virilis, & ſenectus: quarum quælibet habet ſua officia, & mores, vt ſequitur. *Infantia vnde dicta.*

De infantia.

Infantia prima eſt ætas hominis poſt natiuitatem: ſic dicta, quòd non fari poteſt. Illi nulli poſſunt mores præſcribi, ſiue virtutes, quia nõdum eſt rationis compos, neque linguæ habet vſum, neque intellectu vtitur. Ideò ſolùm nutricis ſiue matris inſtructione viuat, oportet.

De pueritia.

Pueritia, ſecunda eſt ætas, quandò infantes loqui incipiunt, nondum habentes plenũ rationis vſum. Dicti ſunt pueri fortè à Bua, id eſt, potione puerili, quam Buam vocãt, verba prima proferentes imperfectè ſine prudentia, ratione & intellectu. *Pueri vnde dicti.* Hi ſunt docendi per parentes, vt honeſtè viuere incipiant: hiſce moribus ſcilicet, vt Deum agnoſcant, &

colant corde, & orationibus ſimul; &, diuam virginem Mariam, vt conſulit Hermannus Buſchius in carmine, vbi hortatur pueros ad virtutem. Sint obedientes parentibus, ſenes reuereantur. A ludo, & prauorum conſortio abſint, ne vitiis maculentur priuſquã ratione rectè vti inceperint, quo nihil poteſt eſſe odioſius, teſte Apuleio, ſic inquiente: Puerum quis non oderit, cùm videat ipſum velut monſtrum quoddam, prius robuſtum, & ſcelere plenum, quàm ætate: prius nocentem crimine, quàm corpore potentem, paruum annis, ſed magnum malitia. Nondum tamen perfecta prudentia in puero poteſt, exigi aut haberi, cùm in ipſo dominetur puerilitas ipſa, & nouæ mentis imbecillitas: ideò & puppis ludit, & equitat in arundine longa. Ob id tamen ei indulgendum nimium non eſt, ne

in vitia inclinetur & flectatur, sempérque morbidus maneat. Nā quod teneris in annis imbibitur, vsque ad sepulchrum retinetur. Quare instruendi sunt diligenter in his præceptis, vt tradit Philelphus libro octauo de Educatione liberorū, scilicet vt Deum colant, obedientes sint, & verbis, moribus, corpore, ac vestibus ornatum habeant. Nō sint loquaces, aut mendaces, non bestiæ, prauis moribus, corpore non pigri, vt aselli. Neque immundi, vt sues in volutabro: aut vestibus pessimè pexis, vt mendici: aut sordidi, vt capræ sordidatæ: neque animo indocti maneāt, instar lapidis, aut asini Arcadici. Et septimum annum postquàm attigerint: præceptoribus literariis cōmittātur. Id nanque solebāt Gentiles, vt testis est Philelphus lib. ij,

De Iuuentute.

Iuuētus, ea est ætas, quæ proxima

est

eſt pueritiæ (licet ſecũdum Perotũ ipſi Iuriſconſulti ponant, & numerent iuuentutem poſt adoleſcentiã, vſu tamen præponitur (dum ſcilicet iam perfectè fari poſſunt filij, & præceptoribus commiſsi ſunt, aut apti vt committantur. Dicta autẽ eſt iuuentus (vt ait Perotus) à iuuando, quia viribus fit apta ad iuuandum parẽtes. Expedire nanque poteſt negotia commiſſa, & ad labores nonnullos ferre opem, aut manũ admouere. In hac ætate fugienda eſt ſecũdum Quintilianũ libro primo, capite tertio, mollis educatio. Educatio enim illa mollis, inquit, corrũpit & corporis, & ingenij neruos. Quid igitur adultus faciet, qui in purpura repſerit? Delicatè autẽ in iſta ætate qui aluntur, omni in vita lautitias expetunt: quas ſi cõſequi nequeunt, quantũ cupiunt, laborant per fas, & nefas ſuo palato delicatè ſatisfacere:

Iuuentus vnde dicta.

&

& tandem in otium, ludum, & furtum, ac omne malum ruunt. In hac ætate pueri Romanorũ bullã, quam in collo gesserũt ab infantia, foribus suspenderunt in templũ, tanquàm pueritiæ renuntiantes: & in posterum exuere volẽtes mores illos, quos pueri habuissent: toga alba & candida induebantur, cum purpura prætexta, vel præposita, in exemplũ vitæ candidioris, melioris & honestioris: vt togæ albedinem aspicientes, fugerent vitia, quæ homines denigrant, & alijs odiosos reddunt, purpuræ splendorem videntes, cogitarent & conarentur, vt sic eorum splenderet vita, quò omnibus cõmendaretur.

Erunt autem hæc officia iuuenum.

Deum in primis venerari orationibus, & corde puro. Deinde parentes: proximè præceptores. Illis tribus auscultare, ac fugere quæ prohibẽt, exequi quod præcipiunt. Dei man-

Dei mandata pueris discenda. data discant, audiant, quærant, & exequantur. Quòd autem tribus his obsequendum sit iuueni, facilè patet. Nã ab ipsis pendet vita nostra, à Deo animam accepimus, à parentibus corpus, à præceptoribus animæ instructionem, per quam vita nostra differt à brutis. Ideò vt simus grati, ipsis est obsequendum.

Adolescentia vnde dicta.

De adolescentia.

Adolescẽtia quarta est ætas, quæ incipit ab anno decimoquarto vitæ nostræ: dicta adolescentia, à verbo adolesco, quod significat cresco. Nã tum temporis homines adolescunt corpore, viribus, ratione, vitijs, & virtute: magis tamen ad vitia flectuntur, quàm ad virtutem: ac tum prius cognoscitur cuiuslibet natura, ad quid scilicet inclinatus sit. Nam anteà agnosci non potuit, propter ætatis imprudentiam. Facti enim adolescentes (vt inquit Teren. in And.)

animum ſuum ad aliquod ſtudium applicant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos colendum & diſcendum. Cui & Horatius conſentit in arte poëtica:

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine cãpi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidúſque, & amata relinquere pernix.

Hæc ætas, adoleſcentia ſcilicet, eſt duplex: Prima, ab anno decimoquarto, ad annum decimũ octauum durat: & dicitur adoleſcẽtia Ephœbia, quia illis annis, imberbes ſunt adoleſcentes: ſicuti olim Phœbus, id eſt, Apollo in templis gentilium ſtabat ſine barba, vt ait Valerius Maximus libro primo de Neglecta religione, de Dionyſio Tyranno Syracuſano. Anno autem decimooctauo, primęua creſcit barba, & tum dicũtur adoleſcentes ex Ephœbis excedere, &

tendere ad ætatem virilem. In omne genus vitiorũ hæc ætas hominẽ adoleſcentẽ præcipitat, in otiũ, ludum, inobedientiam, crapulam, luxuriã, ſcortationem, ſuperbiam, prodigalitatẽ. Sua inaniter dilapidant adoleſcentes, nihil ſoliciti poſteræ vitæ, vt omnes teſtantur Comœdiæ: quę nihil aliud de adoleſcentibus dicunt, quàm quòd ſua fornicibus & conuiuijs infundunt.

Quomodo à parentibus vel præceptoribus adoleſcentes ſint ad virtutem & honeſtatem ducendi.

Cùm igitur hæc ætas pręter omnes alias ætates ad vitia ſit procliuis: in dieſque magis in ipſa ſe dedat per adoleſcentiæ libidinem, inſtar iuniorum hinnulorum, quos iuuentus titillat: ideò ſunt frænãdi adoleſcentes, aut à parẽtibus, aut à pręceptoribus, nõ ſecus ac equi indomiti ab inſeſſore calcaribus domantur,

& cic

& cicurantur. Quatuor autem præceptis, parentes vel preceptores ipsos adoleſcentes ad bonam frugem ducere debent: ſcilicet, inſtructione, monitione, promiſsione: vltimò, laude, & minis.

Inſtructio ſex conſtabit præceptis.

Primò doceantur adoleſcentes, Deum eſſe adorandum, & venerandũ in primis & ante omnia: qui cunčta creauit, paſcit, & conſeruat: nihil mali impunitum relinquens, nihil boni irremuneratũ: bonis dans premium æternum, malis ſupplicium perpetuũ: ſine ipſius gratia & fauore, nihil poſſe nos hoĩes, neque momentũ quidem viuere: ideò cauendũ, ne mala vita ipſum offendamus.

Deus in primis adorandus.

Secundò, Non eſſe confidendum in bonis terrenis, præſertim non in corporis pulchritudine. Nam forma corporis eſt admodum fragile bonũ. ideò Virg. dixit Eclo. 2.

O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vacinia nigra leguntur.

Neque nimis doleant, si corpore sint deformes: sed laborẽt, vt pulchri fiãt animo. Nã, vt inquit Frã. Petrarcha, in libro de aduersa fort. Pulchrius est pulchrũ fieri, scilicet scientia & virtute: quàm pulchrum nasci, scilicet corpore. Hoc præcepto Socrates instruebat suos discipulos, iubens eos sæpe inspicere speculum: vt si viderent se corpore formosos, laborarent vt & pulchri fierẽt animo. Corpus enim animũ concludens inquinatum: sepulchrũ est pretiosum & venustũ, continẽs cadauer putridũ. *Matth. 23* Ideò CHRISTVS, in Euãgelio Pharisæos vocabat sepulchra dealbata: quòd apparerent religiosi, ac boni, sed intus lupi essent rapaces. Sin corpore essent deformes, iussit Socrates, vt & animi quærerent pulchritudinem scientia & virtute, quæ

nob

nobilior esset, & longius duraret, quàm corporis forma. Tertiò, Neque in diuitijs, in opibus, siue pecunia multa, spē ponāt: sed in sola sciētia ac virtute, cōfidāt se diuités & felices futuros: nam solùm doctum & sapientem verè esse diuitem. Diuitias vulgares perire citissimè. multos nāque quondā fuisse ditissimos: sed citius dicto factos infortunatissimos, vt legitur de Crœso, rege Lydorum opulentissimo. Diuitias non esse dignas, vt amentur, tanquā bona pretiosa. Nam Cicero refert quarto libro nouæ rhetoricæ, Si voles diuitias comparare cum virtute: vix satis idoneæ erunt, vt sint virtutis pedisequæ siue famulæ. Ideò adolescentes, dum ingenium viget, & ætas, comparent sibi viaticum ad senectutem, scilicet virtutem & scientiam. Per illa enim in senio acquiritur honor, salus, laus, & vir-

tus. Quare Thales Milesius philosophus olim quæsitus, quid adolescentes discere deberent, respondit: Illa quibus in senio essent vsuri, indicās virtutē & sciētiā. Quartò, quicquid nocere alijs viderint, vel alios vitiare, illud ipsi fugiant, & per aliorum damna, sapere incipiant, & vitā suā in melius conuertant ac instituant.

Quæ vitia pueru fugiēda.

Quæ autē alios vitiant, & alijs incōmodant, sunt hæc, inobedientia, mēdacium, garrulitas, infidelitas, improbitas, & ludus, vbi pretio luditur, scortatio, ebrietas, prodigalitas, otium, & prauorum societas. Quintò proponantur ipsis exempla bonorum & malorum hominum, & dicatur vita & finis ipsorum: malos malo esse donatos præmio, bonos autē bono. Hinc veteres Romani adolescentes in principio adolescentię induebantur toga virili, vt paulatim inciperent, ac tenderent ad vitam

viro

viro honesto dignam: deinde ducebantur ad publicum forum, nimirum vt agnoscerent, & viderent cõmunem hominum vitam esse duplicem, vitiosam scilicet, & virtutis: vitiosam malum sortiri exitũ & finẽ, sed virtutis viam, primò esse arduã & senticosam: tandem tamẽ pręmio donari bono, & perpetuo. Ideò Hercules quondã factus adolescens, elegit seruire virtuti per laborẽ, sciens post laborem sequi pręmium, quàm vitijs seruire per otium, vt de ipso scribit Cic.1.Offic. Sextò, exerceantur labore & fatigatione: non otio deditos esse patiantur, ne in libidinem inhonestam cadant. Nam testante Ouidio:

Otia si tollas, periêre Cupidinis artes.

Ideò veteres Romani suos liberos exercebant dimicando, pugnãdo, & natando. Exercendi igitur adolescẽtes opera asidua, more equitũ, qui

in dies equos indomitos ſtabulis educunt vicatim, aut in campum, vt calcaribus & fræno currendo aſſueſiant, non torpore putreſcant.

De Monitione.

Secundò præter inſtructionem, parentes vel præceptores admoneãt adoleſcentes erroris. Si in aliquo errauerint, doceri debent quid melius ſit factu & honeſtius. Sępe corã ipſis verba fiant de honeſtate, & viris honeſtis, vt ſic tandem per aſsiduã monitionem fiant honeſtiores. Nã verba mouent animos: & quod quis sępiſsime audit, id cordi includit. Admoneantur autem, vt honeſtorũ parentum, cognatorum, & agnatorum ſequantur veſtigia. Sic Aeneas duodecimo Aeneidos hortatur & monet filium ſuum Aſcanium, vt ex ſe patre ſuo diſcat virtutem dicens:

Diſce puer virtutem ex me, verũmque laborem,
Fortunam ex alijs, nunc te mea dextera bello,

De

Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cùm matura adoleuerit ætas,
Sis memor.

De Promissione.

Tertiò promittatur eis, se magna accepturos præmia, & à nobis, vbique & semper, si virtutẽ fuerint secuti, vt in Epistolis inquit Horatius:

I bone quò virtus tua te ducit, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia.

Pergite ô adolescentes, quò virtus vos ducit, magna accipietis pręmia: omnia enim adsunt illi, & ipsi nihil deest, qui virtutem habet, teste Plauto in Amphitr. Comœdia.

De laude & minis.

Vltimò & quartò laudentur adolescẽtes, si in virtute & honestate proficere & progredi visi fuerint. Nam laus magnũ est calcar ad susceptum peragendum negotiũ: vt hisce versibus refert Ouid. 5. lib. Tristium:

Denique non paruas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Omnes

Omnes enim,vt inquit Cicero,trahimur & laudis cupiditate & amore. Quintilianus quoque iubet laudare adoleſcentes,ſaltem ad bonam frugem proficientes. Sin deſides fuerint ad vitutem & honeſtatem amplectẽdam,neq; pia audierint monita,tum minis cum ipſis agẽdum eſt: deinde & verberibus,teſtimonio Ciceronis libro quarto nouæ Rhetoricæ,ſic dicentis: Qui adoleſcentum peccatis ignoſcendum putant oportere, falluntur:propterea quòd ætas illa non eſt impedimento bonis ſtadiis: apti ſunt ad bona diſcenda, non minus quàm mala. At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant, vt quibus virtutibus omnem vitam poſſint tueri,eas in ætate maturiſsima ſibi comparent. hæc Cicero.

De adoleſcentum officiis.

Adoleſcentum officia ſunt varia. Primò eligere & ſibi præponere de-

bent genus vitæ, quo ad funus vſque vti volunt, exemplo Herculis, qui in adoleſcentia id feciſſe legitur: & more Romanorum, qui adoleſcentes ineunte adoleſcẽtia, in forum publicum ducebant, indutos toga virili, vt nuces ſpargere inciperẽt, quibus diu luſiſſent: exuerent prioris ætatis ſtultitiam, auſpicarentur vitam quæ hominibus commendaretur. Oportet enim hominem viuendi honeſtatem non excedere, cui inter homines vita agenda eſt.

Secundò, teſte Cicerone primo Officiorum: adoleſcẽtis eſt, maiores natu vereri, & ex illis eligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio & honeſtate ſuam inſtituant vitam. Temperet ſibi à libidine, & omni ſtulta cupiditate: exerceat ſe labore, & patientia animi ac corporis, vt & in bellicis ac ciuilibus officiis fiat aptus: & cùm animum recreare vult

& da

& dare ſe iucunditati, caueat intemperantiam: recordetur verecundiæ, non ſit nimis prodigus & laſciuus, ſed verecundus, præſertim in illis rebus, in quibus vult adeſſe natu maiores. Hæc Cicero. Præterea in loco & tempore cogitent adoleſcentes, ſe homines non beſtias eſſe. Ideò & mores habeant meliores brutis: cogitent ſe adoleſcentes eſſe, non pueros, vel iuuenes, vt pueriliter agant: neque eſſe viros & ſenes, vt per ſeipſos ſatis ſint prudentes, ſed quòd adhuc egeant inſtructione.

De ætate virili.

Quinta ætas, dicitur ætas virilis, dum iam matura & adulta eſt hominis perſona vel ætas, & corpus adoleſcere ceſſauit, ſimul & barba in mento emerſerit. Hæc eſt ſola & vnica ætas virtuti plus accommoda & honeſtati: nam & ratione viget, & corpore valet, vt virtutem amplectatur.

Ab huius ætatis nomine nempe à vi ro, primitus eſt virtus denominata. Dum enim huic voci, vir, additur ſyllaba, tus, fit dictio virtus. Sortita *Virtus* autem eſt nomen virtus à viro, eò *vnde no* quòd ſolus vir aptus ſit miniſter & *men ſor* cultor virtutis. *tita.*

De viri honeſta vita.

Viri vita tota honeſta eſſe debet, & plena omni virtute. Nam non agit vitam verè honeſtam ille, qui nō om neis virtutes ſimul obſeruat, ſed peccat in aliqua. Sit igitur vir ipſe prudens, iuſtus, temperans, & fortis. Pru dens ſit, vt prudenter quælibet agat verba, & factorum præteritorum recordetur, præſentia rectè diſponat, futura præmeditetur & prouideat. Quicquid agat, prudenter agat, & reſpiciat finem. Nam turpe eſt (vt inquit Cicero) poſt finem dicere: Non putaram. Ideò Terentius in Adelphis dixit: Iſtud eſt ſapere

non

non quod ante oculos eſt ſolùm videre,ſed quæ futura ſunt proſpicere. Iuſtus ſit,nulli nocens, nulli iniuriã inferens,amicus ſit aliis,concordiam amet.Pius ſit & humanus,& in omnibus rebus amet conſtantiam,& fidem ſeruet.Nam fides(ſecũdum Ciceronem primo Officiorum)eſt iuſtitiæ fundamentum.Temperans ſit in omnibus rebus,ſcilicet modum ſeruans : modeſtus, caſtus, moderatus, parcus,ſobrius,& pudicus.

Fortis ſit,non corpore,ſed animo, non timidus & puſilli animi, in aduerſis rebus,non cedat malis,ſed contrà audentior eat : nõ commoueatur ſubitò & perterreatur,ſed magno ſit animo,vtcunque res ceciderit. Præſertim tamen cupiditatem & iram frænet. Non ſtulta cupiat, vt pueri: iratus,nihil faciat.Ideò Plato quondam quæſitus,Quis hominum eſſet fortior? reſpondit : Qui propriam

iram

iram vincere poteſt.

Inſuper vir honeſtatis cupidus, hęc duo obſeruet pręcepta. Primùm, curet vt talis ſit, qualis haberi cupit. Nam, teſte Cicerone ſecundo Officiorum, Socrates quōdam dixit: Breuem eſſe viam ad gloriam, ſi quis ſtudeat talis eſſe: qualis haberi vult ab aliis. Secundum, laboret ne famam viri honeſti perdat, ex hoc præcepto Ouidij:

Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento,
Qua ſemel amiſſa, poſteà nullus eris.

Vt autē quilibet hoc poſſit, ſequatur hoc pręceptū Horatij in epiſtolis:

Inter cuncta leges, & percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter æuum.

De Senectute.


Sexta & vltima ætas, eſt ſenectus: cui ætati propria eſt prudētia, quam vel longo vſu vitæ, vel ſcientia, vel experientia ipſi ſenes ſunt conſecuti. Quare ipſorum officium eſt (in-

quit Cicero primo Officiorum) iuuẽtutem, amicos, & Rempublicam, consilio ac prudentia adiuuare. Ideò Romulus primus conditor vrbis Romæ, centum senes (teste Liuio) elegit, qui vrbi & consilio & prudentia regendo præessent. Inde à senibus dictus est Senatus, quasi senum collectio & turba, quòd ipsi senes rectores vrbium esse debeant, ac iunioribus esse exẽplar honestatis. Ideo ipsis honor exhibetur, tanquam prudentiæ simulachris honestatis & virtutis possessoribus & doctoribus. Senum porrò officium est auaritiam (quæ maximè in seipsis dominatur) vitare: deinde morositatem & desidiam. Cogitare quid sibi velint cani capilli in capite, & corpus decrepitum: nempe vt graues & bonos habeant mores, & recordẽtur ad se in dies mortẽ accedere ac sepulchro imminere. Corpus flectitur terram versus, quò sciat se

Senatus vnde dictus.

ſe per mortem mox terram ingreſſuros. Quare mundi gaudia & illectamenta deſerant, mortíque ſeſe accingant. Hoc Horatianum verbum mente ſubinde reuoluant,

–Luſiſti ſatis, atque bibiſti,
Tempus abire tibi eſt, ne potum largius æquo
Rideat, & pulſet laſciua decentius ætas.



QVAE ERGA ALIOS, Deum, & homines deceat honeſtas.

CAP. IIII.



VIRTVTIS cognitio & honeſtatis nihil aut parum prodeſt, niſi ipſius fiat actio & exhibitio. Nã refert Cicero in Officiis: Quòd omnis laus virtutis, non in cognitione, ſed in actione, conſiſtit. Et in libro de Amicitia ait: Tum virtutis

præmium & fructus maximè capitur, cùm in proximum quenque confertur. Conferenda autem est virtutis actio, tum in Deum tum in homines. Nati nanque sumus in obsequiũ Dei & hominum: alia tamen erga Deum, alia erga hominem honestas decet, & exhibenda est.

Erga Deum quid deceat.

Honestas erga Deum consistit in Dei cultura, siue religione. Teste enim Lactantio libro tertio, seruiendum est religioni: quam qui non suscipit ipse seipsum prosternit in terram: sequitur vitam pecudum, & ab omni humanitate se abdicat. Omnis enim sapientia in hoc vno est, vt Deũ cognoscat & colat. Seruire autẽ Deo, nihil aliud est, quàm bonis operibus tueri, & seruare iustitiam. Quare, si quis hominem qui verè sapere velit interrogaret: cuius gratia natus sit, respondebit intrepidus ac paratus

ratus: se colendi Dei gratia, natum esse: qui nos ideò generauit, vt sibi seruiamus. Hæc Lactātius. Ideo veteres illi Romani diligenter & religiosè seruabant deorũ culturam, vt indicant Valerius & Liuius vbique.

Cuius gratia nati simus.

Erga homines.

Post Deum, & erga homines virtus siue honestas præstanda & exhibenda est. Nam teste Lactantio libro sexto, primum officium iustitiæ est, coniungi cum Deo: proximum, cum homine. Et CHRISTVS in Euangelio præcepit: Dilige Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicutteipsum. Hominibus homo debet esse Deus, misericordia, humanitate, pietate: præstare auxilium depressis & laborantibus, impertiri victum non habentibus, vt inquit Lactantius. Quid autem cuilibet homini debeamus, sequentia indicabunt.

Erga patriam.

Inter homines primum locum occupat patria nostra: quã veteres philosophi (vt inquit Philosophus libro quarto de Liberorum educatione) præposuerunt: ipsis parẽtibus, quòd scilicet plus obstricti essemus patriæ, quàm parentibus. Ideò Plato dixit, quòd partem ortus nostri patria sibi vendicat: nati enim sumus, vt patrię prosimus. Quinque autem rebus vel ciuibus patriæ prodesse possumus. Primò, laborare pro ipsius honore & laude, in hoc quòd conamur tales & fieri esse & perdurare qui patriæ olim simus honori, & ipsa à nobis laudem & honorẽ adipiscatur. Secundò ipsam instruere prudentia & cõsilio, si indocta est & insipiẽs docere ignorantẽ, nostri muneris erit. Tertiò in ipsis conari cõmodum: vt ipsi illi terræ simus grati quæ nos & genuit, aluit, educauit. Quartò, defẽdere eã,

aut

aut prudẽtia, aut viribus, vtcunque tempus, vel necessitas postulauerit. Quintò, etiã si opus fuerit, & aliter defendi non posset patria, parati esse debemus, pro ipsa mori: quæ mors honestissima æstimatur. Hinc Horatius dixit: Dulce, & decorũ est pro patria mori. Id & multi gentium fecerunt vt apud Liuium videre licet.

Erga parentes.

Post Deum & patriam, colẽdi ac venerandi sunt parentes, vt sacræ & prophanæ iubent literæ. Hos quoque & virtute & honestate colemus. Quinque verò honestatis vices exhibebimus parentibus. Primò, obediẽdo ipsis in rebus honestis. Secundò, inseruiendo ipsis, in eo in quo possumus. Tertiò, honorando eos & verbis & factis, ipsis non maledicamus, vel obloquamur. In factis ac gestu, nudo capite, ac flexis genibus eos accedendo. Quartò, ipsos ornã-

do, ſcilicet per profectum noſtrum in virtute & ſcientia, vt ipſi quandoque à nobis honoré habeant coram aliis, non degeneremus ab ipſorum moribus probis & vita. Quintò, alendo eos, ſi aut inedia, aut ſenio fuerint obruti: id nanque ſolent & beſtiæ, præſertim ciconiæ, quæ parentes ſenes alunt. Et Cicero in libro Orationum inquit. Quòd pietas nihil aliud eſt, quàm humanitas erga parétes. Franciſcus Philelphus libro quarto de educatione liberorum, capite tertio, ſic inquit de officio filiorum in parentes: Quòd licet nunquam parétibus poterimus par pari referre: tamen quoad nobis licet, efficiamus, officiosè eos tractemus, aſsiduè comitemur, hortantibus faueamus, mandantibus pareamus, voluntates eorum & deliberationes, ſiue morandum, ſiue obeundum, ſiue nubendum ſit, tanquam

Pietas quid.

diuina verba & iuſſa probemus & ſuſcipiamus, iratis non reſiſtamus, comminantes & perterrentes patiẽter ſuſtineamus. Dum autem iubẽt inhoneſta & illicita, reſpuamus, ſed leniter, verecundè, abſque vlla execratione vel maledictione. Hæc Philelphus.

Quomodo illis ſucceſſit, qui parentibus non auſcultarunt.

Qui in parentes fuerunt impij, his nunquàm bene ſucceſsit, vt veteres teſtantur ſcriptores. Oreſtes Græcus, quia matrem ſuam Clytemneſtram occidit, verſus eſt in furiam. Nero princeps Romanus, quia matrem occîdit, habitus eſt tyrannus crudeliſsimus. Olim in vrbe Romana, parricida grauiſsima pœna plectebatur: includebatur ſacco ex corio facto, cum cane, ſerpente, & gallo gallinaceo, & tum in profundum maris proiiciebatur.

Erga præceptores literarios.

Post parentes,& pręceptores sunt colendi. Nam præceptores sunt alij, vel alteri parentes. Ideò gentilitas præceptores voluit haberi loco parentum (vt inquit Iuuenalis in Satyris) ipsi nanque præceptores sunt parentes animorum. Dant nanque vitam animorum, scilicet virtutem, & scientiam, ac honestatem: parentes autem solùm corporis vitam præbent. Sunt igitur præceptores proximi parentibus, & non multò minus ipsis reuerendi. Compertum enim est,vt inquit Philelphus libro quarto,capite septimo,eos qui præceptores suos coluerũt, ad magnam gratiam literarum peruenisse. Inter quos fuit Traianus imperator & Cæsar, ab omnibus suo tempore commẽdatus ob virtutem. Hic præceptorem suum Plutarchum summè est veneratus. Marcus Antoninus

Pietas erga præceptores.

nus Romanus, omnium principum ſanctiſsimus, ſuis prçceptoribus aureas imagines in domo ſua ſtatuit. Cicero eloquentiæ Latinæ princeps factus, quia ipſo in Romano ſermone nullus creditur eloquentior fuiſſe, præceptores ſuos nominatim celebrat in libris ſuis. Et quotquot vnquàm eruditionis, honeſtatis, & dignitatis culmen ac faſtigium attigerunt, præceptores ſuos coluerunt, amauerunt, & laude ſunt proſecuti.

De his, qui præceptores inhonorarunt.

Præceptores autem qui contempſerunt (inquit idem Philelphus) ignari & turpiſsimi ſemper extiterunt: inter quos Nero princeps principatũ tenet, quẽ propter nimia flagitia omnes accuſant ſcriptores. Hic præceptorem ſuum Senecam interemit. Beroaldus in oratione prouer biali

Præceptorum ſuorum contemptores, turpiſsimè ſemper habiti.

biali inquit: Qui obtrectatione præceptoris famam sibi quærit, infamiam inuenit, & in omni proborum cœtu exibilatur & exploditur, vt improbus: formidatur vt vipera, fitque odium publicum non secus, quàm qui parentibus maledixerit. Etenim præceptor est animorum parens & formator: quem nisi omni honore verborum prosequamur, nisi vbique locorum, vbique hominum honorifica commendatione laudemus, impij, nefarij, & scelerati merebimur nuncupari. Hæc Beroaldus.

Præceptor animi parens.

Officia erga præceptores.

Erunt igitur hæc officia quatuor in præceptores exhibenda. Primum, vt ipsos perinde ac parentes amemus. Secundum, ipsis in honesto pareamus ac obediamus, eorum iussa capescentes. Tertium, ipsis simus grati, vsque ad extremum vitæ. Quartum, laboremus vt sciétia ipsis quan

Præceptores vt parentes amandi.

quandoque fiamus aut pares, vel ſi fieri poteſt, etiam maiores. Iſtud pulchrum eſt certamen diſcipulis, vt præceptorem aut ſcientia aſſequantur, aut etiam ſuperent & excellant. Sic multi ſuis olim facti ſunt peritiores præceptoribus, vt Beroaldus gloriatur, nonnullos ſibi olim fuiſſe præceptores, in quorum tandem ſediſſet lectorio.

Erga cognatos & agnatos.

Erga cognatos & agnatos, à patre ſiue à matre nobis ſanguine iunctos ſimul, & in fratres & ſorores quales eſſe debeamus, facilè ratio naturæ nobis dictitabit: vt ſcilicet tales erga ipſos illos ſimus, quales & nobis eſſe ſolemus. Diligemus ipſos vt noſmet. Sunt enim nihil aliud quàm quaſi alij nos: noſtri ſunt ſanguinis, noſtræ ſtirpis, & progeniei noſtræ, & partes ac membra. Quare

eos non ſecus habeamus, quàm noſtri corporis membra propria: vt quicquid toti noſtro corpori, imò, & nobis fieri non volumus, etiam ab illis depellamus. Proximus non minus ipſis quàm nobis: aliôquin meritò ingrati habebimur. Vt qui vni ſui corporis parti plus faueret quàm alteri, meritò inſipiens æſtimaretur: ſic & dignè ingratus dicetur, qui progenie ſibi iunctis non adeſt auxilio & conſilio. Hæc lex naturæ nobis dictat, & præcepit. Et in Euangelio CHRISTI præceptum eſt: Proximum eſſe diligendum ac ſeipſum. Verè autem proximi noſtri ſunt, qui ſanguine iuncti ſunt.

Erga amicos.

Quinto loco, & amici colendi ac venerandi ſunt. Quæ autem deceat erga illos honeſtas ſiue decor, abundè docent ſcripta eruditorum, præ-

ſertim Cicero in libro de Amicitia. Sunt autem præcipuè ſex leges erga amicos ſeruandæ. Prima (vt Cicero refert) ab amicis non rogemus turpia, ſed honeſta: amicorum gratia non turpia faciamus, ſed ſola honeſta. Secunda, in proſperis rebus amicis congratulemur, collætemur ipſis, ſiquid boni eis acciderit, non ſecus ac ſi nobis contigerit. In aduerſitate eis condoleamus, conſolemur ipſos conſilio & auxilio, & non deſeramus more hirundinum auiũ, quæ (vt refert Cicero libro quarto nouæ rhetoricæ) æſtiuo tempore præſtò ſunt, ſimulátque viderint fortunæ hyemem, deuolant omnes. Tertia, ſit nobis idem velle & nolle cum amicis, eadem ſtudia & delectationes. Nam diſparia ſtudia & diſpares mores, ſeparant, & frangunt amicitias, teſte Cicerone in libro de Amicitia, & Horatio in

Ab amicis honeſta petenda.

epi

epiſtolis. Quarta, non aliud amico faciamus, quàm nobis ipſis fieri velimus. Nam ſecundum Ciceronem, Amicus,eſt quaſi alter idem. Et amici ſunt, cor vnum in duobus pectoribus:ideò eos amore amplectemur,ac nos ipſos.Laboremus amando ipſos vincere, & non vinci ab eis,quod eſt turpiſsimum.Quinta,amicitiam præſtandam præcepit Cicero, non ſpe mercedis vel commodi, vt vulgus ſolet:quod commodo ceſſante, ſimul & fauorem mutuum deponit : ſed in ſolo amore cordis ponenda eſt amicitia: tum & diutius durabit : paratioréſque ſic fuerimus ad dandũ amico,quàm ab ipſo expectare munus. Sxta lex & vltima eſt, vt obſequia ſæpe præſtemus amicis:quia teſte Terẽtio:Obſequium parat amicos.Deinde & pręſtita non obiicere quibus contulimus.Cicero enim inquit: Odioſum
eſſe

esse genus hominum officia exprobrantium: quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non cõmemorare qui contulit. Libro quoque II. veteris Rhet. inquit idẽ Cicero: Impudens est ille, qui pro beneficio nõ gratiã, sed mercedẽ postulat. Sin in nos ab amico fuerint exhibita obsequia: iubet Cicero in Officijs, vt sequamur agros fertiles, qui plus reddunt quã acceperunt à seminante. Sic in amicitia, si possumus, plus reddamus, quàm nobis collatũ est: vel nostræ non esse opis rependere æqua lance dicamus: velle tamẽ gratos esse, si unquã fortuna nobis arriserit copiosius & benignius.

Erga socios.

Amicitiæ simillima est illa hominum familiaritas, quę dicitur societas. Est enim nihil aliud societas, quàm amica hominum inter se coniuncta familiaritas. In socijs autem *Societas quid.*

eligendis, vel obſeruandis, in primis conandum eſt, vt honeſti ac probi eligantur & habeantur: apud quos & emendatiores fieri poſsimus. Illos cùm erimus nacti: ſic erga ipſos nos habebimus, ſex præcepta non excedentes. Primò, non ſecus quàm erga amicos in ipſos ſimus. Secundò, hæc quinque obſeruemus, quorum Terentius meminit in Andria: ſcilicet, diſcamus perferre, & pati mores, ritus, & geſtus ſociorum: non mox ad vnum aut alterum verbum iraſci, ſed omnia ferre æquo animo & vultu hilari. Deinde nos totos demus nutibus & voluntatibus honeſtis ſociorum. Tertiò, obſequamur ipſorum ſtudijs: id agamus, quod illi moliuntur; ſi ſaltem inhoneſtate caruerit. Ideò & vulgò prouerbium eſt: ¡Viuendum eſſe moribus præſentium, non eſſe moroſum, vel ſui (quod aiunt) capitis. Quartò, nulli

aduersemur: litem, discordiã, & iurgium fugiamus: litem non seminemus. Quintò, nulli nos pręponamus, non aliis nos meliores ęstimemus, sed ęquales. Hinc vulgò dicitur: Inter socios non esse ordinem, sed æqualitatem inter ipsos debere esse, & nullam pręlationẽ suiipsius. His præceptiunculis, & aliæ duę possunt addi. Prima, vt socios absentes theonino dente non rodamus. Secunda, delinquentes castigemus, sed parcè & in secretum ductos, nõ coram alijs. Illud enim est vituperare & vitiare, non amicè emendare. Amici in abdito, ęmuli publicè delinquentem arguunt.

Erga Senes.

Quos senium & cani grauant capilli, illis quoque sua est exhibenda honestas. Merentur honorari ob longam actam ętatem, in qua & experientia, vsu & arte multum

minem canum præteriret capite operto, is capite plecteretur.

Erga mulieres.

Mulieribus etiã honestis & probis debetur honos ob duplicem rationẽ. Prima, quòd ipsæ nostrę sunt genitrices & nutrices: ac plus sudoris in educãdis liberis habẽt, quàm patres. Secunda, quia pudicitiã virtutem colere solent (quę virtus maxima æstimatur) vt de multis matronis constat apud historicos. Triplici igitur honestate sunt venerãdæ. Primò, apud ipsas temperare à verborum lasciuia. Ipsæ enim pudicæ cũ sint, nil coram eis loquendum est, quàm quod pudicum & honestum est. Secundò, abstinendum ab indecenti gestu & moribus, quæ vitiant. Verecundè agenda omnia: talia nãque conuenit nos moribus exprimere & effingere semper, quę præsentium fortunę & conditioni sunt

Quibus rationibus mulieri debeatur honos.

apta. Cùm igitur mulieres habeantur pudicitiæ cultrices, pudicos & apud ipſas nos eſſe decebit. Tertiò, in mulieres nõ armata vel irata ſæuiendum manu, cùm ipſæ ſint inermes, & imbecilles, neque ſatis validæ, vt cædenti reſiſtant: & cùm nihil ſit laudis mulierem viciſſe, vel de ipſa ſupplicium ſumpſiſſe, vt habet vulgatum prouerbium, & Vergilius ſecundo Aeneidos.

Erga extraneos vel peregrinos.

Extranei & pegrini quomodo excipiendi.

In extraneos & peregrinos etiam officia virtutum ſeruanda ſunt, prę-ſertim quatuor. Primum, pijs & humanis verbis excipiendi & tractandi ſunt, vt ſeſe ad homines, id eſt, humanos diuertiſſe agnoſcant, non ad crudeles & impias beluas. Non ſunt irridendi verbis. Hinc Plaut. ait in cómœdia, quæ Pænulus dicitur: Seruum hercle te eſſe oportet, & nequam, & malum, hominem peregri

gri

grinum atque aduenam qui irrideas. Secundum, instruendo eos in hoc, quod eos latet nostra in terra, non præ inscitia multarum rerum apud nos consuetarum, fallendi: nam istud nihil affert laudis, sed potius vitiat & cōtaminat. Facile namque est imponere nescienti. Habet Erasmus in li. de Instr. prin. Christ. Platonem quondam dixisse, quòd diligentius cauendum est, ne quid lædantur hospites magis quàm ciues: propterea quòd hospites destituti auxilio amicorum & cognatorum, magis sunt obnoxij iniurijs. Ideò & Iouem putabant Gentiles esse vltorem iniuriæ peregrinorum, vocabántque Iouem ob id Xenium. Tertium, monstrare viam quęrentibus aut ignorantibus, nō sinistrorsum ducere, dum dextrorsum ipsis eundum est. Id enim sceleratissimū factu est, seducere peregrinum, sine

noſtro cõmodo: decétque latrones & prędones, qui ſponte erronea via iubent ire peregrinos, quò in calles incidant, & occîdant ipſos. Quartum, hoſpitio ipſos ſuſcipere, & ferre vt nobiſcum habitent. Hinc Gentiles coluerunt hoſpitalitatem, tanquàm rem ſanctam, & Iouem dixerũt Deũ hoſpitalitatis quòd pium & ſanctũ eſſet hoſpitari peregrinos. Ideò Dido regina Carthaginenſium, libro primo Aeneidos, dum Aeneã cum alijs Troianis hoſpitio ſuſceperat in conuiuio, inuocat Iouem tanquàm dantem iura hoſpitibus. Et veteres Romani multos peregrinos in ſuã vrbem ſuſceperunt, qui tandem & vrbis fiebant moderatores, vt Liuius ait de Vrbe condita. Scribit & Beroaldus, quòd olim in opera danda, & obſequio pręſtando, hoſpites ac peregrini pręponebantur cognatis & affinibus. Imò & Romę exter-

nis

nis magiſtratus dabatur regius, con ſularis, & prętorius, vt Numæ & Tarquinij temporibus, Conſules multi peregrini & externi fuerunt. Habebāt & prętorem peregrinum, qui peregrinis ius dixit.

Erga hoſtes aut inimicos.

Et in hoſtes noſtros virtutis memores eſſe debemus: & pręſertim quatuor vti pręceptionibus. Primò, vt iubet Cicero in Offic. Etiam & fides præſtita ſeruanda eſt hoſtibus, vt nunc equitum lex & conſuetudo eſt. A quo quis captus fuerit & manumiſſus, ad illum eundem reuocatus, vt redeat, oportet: aliâs è ſtrenuorum equitum albo expungitur & eliminatur. Secundò, ab hoſtibus vel inimicis irritati, aut laceſſiti iniuria, aut bello indicto, non ilicò reluctemur, aut remordeamus: illud nanque beluarum eſt, ſed benigné rem ipſam prius agamus

verbis, teſte Terent. in Eunu. Omnia prius verbis, quàm armis experiri, ſapientem decet: nihilque ex ira faciendum improuidè. Tertiò, etiã iniuria illata & accepta, præſtat ignoſcere, quàm talionem reddere. Nobilius nanque vindicandi genus eſt ignoſcere, quàm par pari referre. Eraſmus in libro de Inſtructione principis Chriſtiani, inquit: Quòd vltio, eſt ſignum parui & puſilli animi. Iuue. ſaty. xij. ait: Quòd vindicta nemo magis gaudet, quàm fœmina, ergo erit viro indigna. Quartò, ſi hoſtium iniurias & inſultus abigere non poſſumus, niſi paribus viribus reſiſtamus, tum illud Verg. xij. Aeneid. ſequendum eſt: Quò Deus, quò dura vocat fortuna, ſequamur. Sors & virtus miſcentur in vnum. Armis audenter repugnemus, vt paſsim habet Liuius de Roma. gentibus. Illud tamẽ Ciceronis

ſemp

ſemper in mente habeatur? Bella ſuſcipiãtur, non aliã ob cauſam, quàm vt poſteà in pace viuatur, non vt vindicta de hoſtibus ſumatur.

Ergà heros et dominos quibus ſeruimus.

In heros noſtros quorum pane victitamus, & quibus ſeruitium debemus, quadruplices habebimus mores. Primò, parati & prompti ad eorũ exequẽda iuſſa & mãdata ſimus, nõ teſtudineo more exequi negotia: nihil inertiæ, moleſtiæ, aut ceſſationis exercere in herilibus iuſsis capeſſendis. Secũdò, fideles eſſe in ipſos: non fallere, non fraudare eos, non imponere illis coràm blandiendo, & abſens obeſſe. Tertiò, illis ſimus frugi & vtiles, eorũ incõmoda prçcauẽdo: plus ipſorum, quàm noſtrã commoditatem quæramus: citius domini, quàm priuatã & noſtrã rem exequamur: & ſi viderimus herũ incommodi quippiam ſubiturum, iſtud ipſum nos

Mores erga heros obſeruandi.

nos serui depellamus. Hæc Plautus in Aulularia. Quartò, taciturni esse debemus, duabus vicibus. Primò, ad herorũ verba non obloqui, etiam si interdũ melius nouerimus, neq; tamen prorsus obmutescamus. Hinc Plautus in comœdia militis gloriosi, ait: Oportet seruũ plus scire, quã loqui. Secũdò, dominorũ secreta aliis nõ aperire, neq; foras eliminare: taciturnitas eni oppidò seruũ cõmẽdat.

Erga Magistratus.


Magistratibus locorum, vbi agimus, etiã virtutis exhibitio debetur, præsertim triplex. Primò, obediẽtia, vt suis iussis & legibus honestis pareamus, non simus legirupæ, sed legibus auscultemus. Sunt nanq; nihil aliud leges ipsæ, quàm rectè viuendi præcepta & documenta. Malè viuitur, vbi sine lege, instar beluarũ, vita agitur. Neque in magistratus insurgere, feliciter cadere solet. Non

Magistratibus quid debeatur.

enim

enim bene succedit culici elephantum mordenti, & scarabeo aquilam quærẽti. Secundò ipsósnõ dehonestemus, neq; verbis, neq; factis. Tutum enim nõ est dicere aut scribere in illos, qui possunt proscribere. Neque decorũ est eos vitiare, lædere verbo aut facto, qui diu noctúq; conantur recto viuendi modo moderari Rempublicam, subditósq; singulos. Tertiò, census si quid exigunt, aut ipsis dandũ est, benignè pẽdatur. Eo nanq; pacto vrbes & regiones tutantur, conseruantur, ac restaurantur: aliâs durarent non multis seculis. Nã teste Liuio, libro secũdo ab Vrbe cõdita: Si cætera corporis mẽbra, stomacho cibũ non suppeditarẽt, simul cũ ipso fame perirent. Ita quoq; e, nisi ciues & incolæ censibus & tributis vrbes ac regiones, principes siue magistratus iuuarent, pariter cum ipsis interirent.

Quid



QVID QVOVIS IN loco, & tempore deceat, & quauis conditione.

CAPVT V.



IN honestate & virtute multum efficiunt locus & tempus: quorum duorum nisi fuerit ratio habita, nihil, vel parum, conducet virtutis cognitio & actio. Locus enim & tempus, dicunt sacrarum literarum interpretes, peccata aggrauant: item leuantur loco & tempore. Sic & honestas siue virtus, etiam loco & tempori accommodanda est. Alia enim & diuersa, diuerso in loco & tempore decent, licent, & exiguntur. Quòd si quis nescierit, aut non imitatus fuerit: quantumuis virtutem didiscerit, iuxta vitiosus æstimabitur, si igno-

rauerit seruire loco & tempori. Ideò, Macrobius libro septimo Saturnaliu m, capite primo, inquit: Nihil est tam cognatum sapientiæ, quàm locis & temporibus aptare sermones. Iussit & Pittacus Mytil. Noscendum esse tempus: vt quicquid ageremus, prius videremus tẽporis opportunitatem: adeò existimauit tempestatẽ omnibus in rebus esse optimã. Hinc Terentius dixit; In tempore veni: quod rerum omnium est primum. Quomodo autem quisque debeat, & possit esse omnium horarum homo, sequentia vtcunque aperient.

In conuiuio, quæ deceat honestas.

Loca & tẽpora varia sunt, in quibus agunt, & conuiuunt homines: præcipuè tamẽ locus & tẽpus conuiuij, siue cõuiuationis homines habet. Genio enim indulgere, bacchanalia viuere, & cuticulam curare, frontem

expor

exporrigendo, omnibus eſt volupe. *Inter pocula autem, ſex tenendæ ſunt honeſtatis ſiue virtutis præceptiũculæ.*

Prima, vt Macrobius inquit libro ſeptimo Saturnaliũ, capite primo, obſeruatio in cõuiuio eſt, æſtimare conuiuas, quales ſint, cuius fortunæ, dignitatis, & authoritatis. Secunda, vt idem ait Macrobius, debet quiſque videre, vbi ſibi locus pateat, non de rebus philoſophicis, vel grauibus inter pocula loqui. Ideò Socrates quondam in conuiuio rogatus, vt aliquid in medium proferret, reſpõdit: Quæ præſens locus vel tempus exigit, ego non calleo: quæ autem calleo, prę ſenti loco nõ ſunt apta nec tempori: putans res graues, de quibus in ſcholis diſputant philoſophi non conuenire conuiuio. Tertiò, ſcomata dicẽda ſunt, neminem mordentia, nam citius inter pocula, quàm aliâs commouetur hominibus bilis & Anagy

ris,vt refert Macrobius libro septimo. Quartò,edendo & bibendo modus obseruetur, secundum hæc duo præcepta:scilicet sumatur cibus citra cruditatem & potus citra ebrietaté. Quintò hæc septé præcepta Plauti in comœdia Militis gloriosi obseruet quisq;: Sit cauillator facetus, cómodus cóuiua,non obloquutor alterius,ab omni incommoditate abstineat,loquatur dú tépus est,taceat altero loquéte,parum expuat, screator nó sit immodestus. Sextò, in cóuiuio dicta vel audita visa & facta, foras nó aperiat vel diuulget. Ideò Horatius in epistola sexta, Torquatú vocans conuiuá:promittit se curaturú, vt nemo sit in cóuiuio,q̨ dicta foras eliminet. Et Beroaldus dicit quòd mos fuit quorundam gentiliú,conuiuis domú intrantibus, aut ingressis, ostédere limé,dicédo:Extra illud nihil,id est,ad mésá audita, caue foras

Cibus et potus quo pacto sumendi.

dixeris alijs. Quare & nostro quo hic mos est supra mensas, rosas habere depictas, vt sub illis dicta inter pocula, aliò non effutiantur.

In consortio sobrio.

Ars est non facilis, imò permagna & egregia, scire commodè inter homines agere, vt familiaritate placeamus aliis, maneátque diu mutuus & amicus conuictus. Ad quæ opus est septem præsertim documentis. Primò, assuescamus ferre & pati hominũ mores, verba, ac facta: non ilicò literam caninam sonemus, aut aceto perfundamur, si quid tædij nobis inferunt, sed tanquam nescij, taciti tollamus. Remordere enim & irasci leui offendiculo, est hominis animi impotẽtis. Secundò, aliorũ arbitrio & nutui subscribamus: vt idẽ velle & nolle sit nobis quod ipsis, id velimus quod isti cupiunt, vitemus, his quæ minimè arridẽt sed nauseã inferunt.

Ter

Tertiò, ſtudiis, operibus, & conatibus ipſorũ conſentiamus: iſti ſtudeamus rei, & negotio ipſi, quod agunt: Vbi nanq; ſtudiorum & operum eſt diſſenſio, breui momẽto de conuictũ receptui canitur. Quartò, nemini aduerſemur indignè, & præter illatam prius iniuriam, aut litẽ faciendo, aut verbis rixãdo, aut maledicẽdo. Quintò, nulli nos præferamus, ac meliores, digniores, vel præſtantiores. Sextò, id cæteris præſtemus, nobis quod expeteremus: Ipſis non incommodemus: nam incommodum neque nós boni conſuleremus. Septimò, faciles & accincti vſq; ſimus: vt vbicunque tẽpus exegerit, aut locus expetiuerit, præſtemus aliis obſequiũ. Obſequiũ nanque collatum, parit amicos: intermiſſum, inimicos peperit ſemper. Cæteros mores & ritus, vſus quotidianus dabit & experientia, quæ rerum eſt magiſtra.

In colloquijs mutuis.

In hominum colloquiis mutuis & confabulationibus, octo sunt modestiæ regulæ, siue virtutes seruandæ. Nõ interloqui aliorũ dicta: sed aliis loquentibus, cõpescere linguã, expectaréque verborum finem. Hinc illud vulgatum prodiit dicteriũ: Duo concinere possunt: at nó pariter verba facere: vnius enim sermo alterius remoratur orationem, quod integrè nequit capi. Nullius detrahere honori: neq; absentis, neq; præsentis. Nullum nanq; furtũ est maius, nulla rapina peior, quàm ablatio. Nobilius nihil habet homo post animam, & vitam quod perdere posſit, quàm famam: qua semel amissa, vt Ouidius inquit posteà nullus erit: id est, nullius momenti: aut æstimationis fiet vnquàm. Prospiciendũ quid de quoque viro loquamur: ne aut præsentes aceto perfundamus, aut præsentium

tium

tiũ amicos & familiares. Nil loqui, nisi præmeditati fuerimus, quò vergat. Sultum sit, an prudens dictum: obesse an posit, an profuturum sit. Noua dicere aut afferre quisque caueat, ne garrulus æstimetur, noua nanque proferens, is & nugator & mendax, & loquax creditur. Nó inquirere aliorum secreta siue arcana, ob duas causas. Prima, quia malè habet os, à quibus sua quęruntur occulta. Secũda, quia interrogantes, æstimãtur esse proditores: vt cognitis secretis velint obesse. Arcana & secreta, teste Horatio in epistolis, siue sobrius sit, siue ebrius, taceat & celet: nam celanda effutiens, scelestior fure æstimatur. Arcana namque sæpe præstãt hisce rebus, quæ à furibus surripiuntur. Non nisi comperta & nota dicet quisque, aliâs aut garrulus, aut mendax censebitur, & falsiloquus.

Dum colloquimur honestiori.

Eraſmus in Colloquiis, inquit: Quoties alloquitur te quiſpiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis ſtatum: aperi caput, vultus ſit nec triſtis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec inſtabilis; ſed hilari modeſtia tẽperatus: oculi verecundi, ſemper intenti in eum cui loqueris, iuncti pedes, quietæ manus. Nec vacilles alternis tibiis, nec ſint geſticuloſæ manus: nec mordeto labrum, nec ſcabito caput, nec fodito aures. Veſtis item ad decorum componatur: vt totus cultus, vultus, geſtus, & habitus corporis ingenuam modeſtiam, & verecundam indolem præ ſe ferat.

In deambulando cum aliis.

Si contigerit nos deambulando, aut expatiando aliis congredi, nouẽ moribus inſtituti ſimus, oportet. Primò, loquendo ſimus comes, & affa-

biles, ac humani: nam teste Plauto, Facundus comes, in via pro vehiculo habetur: is tædium in itinere leuat. Si fuerimus inferiores dignitate, eundum nobis à latere sinistro, aut à tergo nobis est, non præire, nisi venia precata. Vtendum gradu non plus æquo veloci, sed temperatæ festinationis & decenti, vt in officiis iubet Cicero. Eundo, nobis congredientes non commaculemus: sed sic pedes & gressum moderemur, ne itineris socios limo aspergamus. Sub missa, siue media voce loquamur nó Stentorea lingua. Obuiis de via cedat: ipsis per diametrum nó obuiet, ne sese inuicem corporibus tangát, vt caper caprum cornibus. Obuios honoret cedendo de via, aliísque modis quibus honor exhibetur. Obuios salutet: salutare náq; subinde, humanú est, piú, & laudabile. Ideò Cato quondá dixit: Saluta libenter. Nihil

enim aliud eſt ſalutare, quàm in ſalutem alteri optare: id quod hominem maximè & decet, & decorat. Obuiis caput aperiat & nudet, quò ſeſe humiliat homo, & inferiorem, altero ſe agnoſcit: quod & CHRISTVS pręcepit, vt nos humiliemus, non intumeſcamus animo & corde.

In tempore hilari, quid deceat.

Tempus etiam & ſuum expoſtulat decorum. Tempore enim plus delinquitur, vel minus. Duplex verò eſt tempus ſcilicet hilare, ſiue proſperum, triſte, vel aduerſum. Tempus ſi fuerit fortunatũ & felix, quadruplex decorum obſeruandum eſt. Primum, non nimium exaltari & gaudere, dum arridet ſucceſsibus noſtris fortuna, id quod vulgò fieri ſolet, teſte Iuuenale, dicente:

Neſcia mens hominum rebus modum ſeruare ſecundis.

H

Secun

Secundum, alium, cui aduersatur fortuna, non irridere, & contemnere prę nobis, tanquàm ipso simus feliciores. Istud nanque est gloriari & efferri animo, quod etiá Deo odiosum esse solet. Tertiò, timere & semper solicitum esse, ne nobiscum immutetur fortuna. Vento nanque inconstantior est, & rotæ mobili insistere dicitur: sic, vt in eodem statu sistere nequeat. Ideò quidam philosophus olim tempore felici tristari solebat, sciens post felicitatem sequi infortunium: tempore infortunato lætabatur, expertus post imbrem serenitatem oriri, & post aduersa sequi iucunda. Quartò, gratiam referre Deo de largito nobis secundo successu, ne ingrati videamur, sed Deũ, vt maiora conferat, illectemus: Dei non obliuiscamur, præ fortunæ felicitate & temporis, vt ferè solent fortunati. Dei recordemur gratis ani-

mis:ipſum precemur, vt quem contulit fortunæ vultum amicum, augeat,& magis ſecundet, vel modico incommodo finiat,& immutet.

In tempore aduerſo.

At tempus ſi fuerit nubilũ,& triſte,ſimus muniti decori præceptis.

Primò,animum non deſpondeamus, ac nunquàm feliciores & fortunatiores futuri,ſed forti animo feliciora ſperemus: noſipſos conſolemur hoc dicto Vergilij:Dabit Deus his quoque finem.

Secundò,conſiliũ aduerſus infelicitatem quęramus,aut noſtro ipſius ingenio,aut prudentiores cõſulẽdo.

Tertiò, Dei recordemur, ipſum precibus adeundo, non execrando eius Deitatem ob aduerſa quæ patimur, ſed vt illud infortunium velit eſſe non diuturnum, ipſúmque vertere in noſtrã ſalutem, gratiã ſuam nobis impartire, vt æquo animo feramus

mus quicquid est aduersitatis.

Quartò, gaudendũ potius, quàm animus demittendus, aduersitatem eam nobis cõtigisse, per quam apud Deum mereamur præmium consequi, ac à peccatis arceamur.

Quintò, spe bona anim⁹ est fulciẽdus, ac si digna feramus, delictis nostris supplicia, dicente Ouid.

Quæ venit ex merito pœna, ferenda venit:
Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.

Sextò, cogitandum nos homines esse & viros, quos nón decet leui aduerso perterreri, sed & forti & audentiori reniti animo.

In seruiendo, & obsequendo alij.

In obsequiis præstandis, etiam & prudenté ac sagacem esse oportet, vt grata sint his, quibus cõferuntur, ne opera & impénsa ludatur. Sunt auté sex obseruãda. Prouidendũ, vt vtilia sint illi cui fiũt: nociua enim qui dat, non obsequium, sed exitium præbet.

Tem

Tempeſtiuè, vel opportuno dentur tempore: intempeſtiua nanq; beneficia minus accepta ſunt, teſte Eraſmo Roterodamo: Vltrò offerre, nō expectare, quouſq, rogemur: ſed egeſtate preſſo adminiculari ſpontè, non rogati; parum enim tum gratiæ meremur. Ideò & vulgò aiunt: Carè conſtat precibus quod emitur. Precata & à nobis promiſſa, non differre. Mora nanq; vel dilatio, obſequium & ingratum, & moleſtum efficit. Libenter & celeriter, non inſtar aſini quondam potum coacti: neq; teſtudinea nectenda mora, vt Aceaſſei lunam expectantes.

Probè & fideliter, ac ſi noſtra ipſius res ageretur: imò & fidelius amicorum gerendū negotium quàm proprium: tum nanq; amicitiæ candor exeritur.

Humaniter & benignè, aut omittenda. Talia nanq; æſtimantur offi-

cia qualis eſt animus præſtãtis. Obſequium acceptum eſt, grato datum animo: non delectat, ab inuito quod exhibetur.

Largiter, ſi per opes licuerit: nam prioris beneficij gratia perit, niſi & nouo alio ſarciatur.

In magiſtratu:

Magiſtratum ſi quem gerimus, dominamúrque aliis, ac rectores & gubernatores ſumus: tum prudentia vt polleamus, neceſſum eſt, prǽſertim quadruplici. Tales nos geramus, quales eſſe, & videri volumus: ſapiamus magis cæteris, quibus imperitamus: nam turpe eſt honore ſuperiorem eſſe, non prudẽtia. Per magiſtratus excellentiam, non elatis ſimus animis alios præ nobis cõtẽnentes, vt miles ille Terẽtianus: ſed hoc dictũ Ciceronis ſequamur: Vt quantò ſumus ſuperiores, tantò nos geramus ſubmiſsius. Plus aliorũ proſimus

mus commodis, quàm priuato: nam magiſtratus agit perſonam publicã, non priuatã. Nõ noceamus inſonti: neque excedentibus indulgeamus nimiũ. In pœna tamen modus adſit. Neque maior pœna ſit, quàm culpa (vt Cicero inquit) ſintque rectores legibus ſimiles, quæ ad puniẽdũ procedunt iure & iuſtè. Curemus, vt à Republica, vel ſubditis exulẽt hæc decẽ vitia: Perfidia, peculatus, auaritia, inuidia, ambitio, obtrectatio, periuriũ, indiligentia, iniuria, & ſcelus, vt iubet Plautus in Per. comœd. Cogitemus & longè alia decere nos, quã eos quibus imperitamus: citius conſpici noſtros, quàm ſubditorũ errores, vt eruditi poëtæ quondam cecinerunt. Ouidius in conſo. ad Liui. Auguſtam:

Non eadem vulgúſque decent, & lumina rerum,
Eſt quod præcipuum debeat iſta domus.
Ad te oculos, auréſque trahis, tua facta notamus
Nec vox miſſa poteſt principis ore tegi.

CVI SENTENTIAE & Claudianus hiſce verſibus ſubſcribit:

Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe,
Viuere cognoſcas:cunctis tua gentibus eſſe
Facta palàm,nec poſſe pari regalibus vſquam
Secretum vitijs:nam lux altiſsima fati,
Occultum nil eſſe ſinit:latebráſque per omneis
Intrat,& abstruſos explorat fama receſſus.

Eiuſdem Claudiani ſunt & àlij verſus, quos Beroaldus pro foribus ædium principalium ſcribendos eſſe cenſet,ſcilicet:

Tu ciuem patrémque geras, tu conſule cunctis,
Nec tibi,nec tua te moueant,ſed publica vota
In commune iubes, ſi quid cenſéſque tenendum,
Primus iuſſa ſubi,tunc obſeruantior æqui
Fit populus,nec ferre vetat,cùm viderit ipſum
Autorem parere ſibi;componitur orbis
Regis ad exemplum.nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent,quàm vita regentis:
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Quom

QVOMODO VIRTVS SIVE HONESTAS ADEPTA, debeat *sanciri, vt nunquàm amittatur.*

CAPVT VI.



IRTVS vel honeſtas cognita & conſecuta, ne vnquam abeat aliò nóſque rurſús vitiis obnoxios reddat: tres ſequentes pręceptiones menti & pectori ſunt inſculpennæ, vt tanquàm claui aut anchoræ apud nos virtutem retineant, honeſtatem firment, & probos mores ſanciant.

Praeceptiones neceſſariæ ad virtutẽ amplectẽdã.

Prima, cauenda omnia quæ honeſtatem peſſundant: fugienda omnia illectamenta vitiorum, omnes voluptates & delitiæ prauæ: crapula, luxus, & otium. Hinc Hermolaus Barbarus dixit: Venter, pluma, Venus


nus,laudem fugienda sequenti. Secunda, nil cogitandū, agendúmue nisi honestum sit, & virtuti cognatum: sola honesta exerceantur, & operentur. In re honesta sit omne opus, omnis labor, omnis cogitatus noster. Sic tandem fiet, vt virtutibus assuescamus, non minus quàm si nobis ingenitæ forent: vitia detestabimur ac canem & anguem. Hinc Virgilius dixit: Vsqueadeò à teneris assuescere, multum est. Nihil est potētius assuetudine frequenti & assidua. Tertiò, diceret aliquis: Vsqueadeò quis posset honesta agere & meditari, cùm nemo sit cunctis momentis qui sapiat, sed interdum dormitet Homerus? Ideò hoc tertium pręceptum manibus & pedibus amplexandum est: scilicet, vt honestis conuiuamus, & conuersemur: ab ipsorum conuictu nos non subducamus, vt Cicero à Mutio Scæuola

ſene ſe nunquam abijſſe ſcribit. Mirum nanque dictu eſt, quantum in moribus valeat hominum familiaritas domeſtica & quotidiana: quod etiam ferè hominis naturam immutet, inuertat, & prorſus variet. Ideò
Pſa. 17 & Pſalmiſta quondam ſcripſit: Cum bono, bonus eris: & cũ peruerſo, peruertêris. Honeſti igitur erimus, & perdurabimus, quoad honeſtis adfuerimus, vel conuixerimus.

*

FINIS.

Her



HERMANNVS SCOT. HESSVS, Candido lectori

S. D. P.



On te malè habeat, lector candide, neque nasum tibi cõtrahat, frontémque corruget, quòd non ad amussim omnia, aut honestatis copiæ cornu hîc legis, aut reperis: sed scias, non omnia vno libello posse aut tradi, aut doceri, sed varios accedendos esse authores ei, qui elimatæ virtutis alumnus cupit effici. Tu igitur, hæc memori mente teneto. In summa dicam. Quisquis honestatem, suúmque requirit officium: Magistratui obtemperet, prudentiores consulat, legibus pareat, tempori &

loco se se accommodet, aut aliorum exemplo, aut sapientum monitu & sua su: sciátquè non omnia posse præscribi, aut chartis tradi, sed multo tempore, usu, & experientia discenda. Vale, lector amice, ac virtutem & honestatem amplectere: sic tandem lignum, (ex quo Mercurius fit) efficieris. At caue, ne cùm Martecophorus es, Bacchus non sis. Coloniæ, sexto Calendas Maij.

*



IOANNI LAVRENTIO ZIRICEO, bonarum literarum ſtudioſiſsimo iuueni, Adrianus Barlandus

S. D. P.

EX Tornaco, in qua nunc vrbe manes, alumne ſuauiſſime, per literas à me petiſti, vt quem audieras me ſcripſiſſe de Chriſtiani hominis inſtitutione libellum, in lucem emitterem. Itaque quum honeſtam iudicarem poſtulationem iſtam tuam, licet ad incudem reuocare, & expolire non daretur homini occupato, intérque res agenti inquietiſſimas: volui tamen aliorum

me potius exponere maledictis, quàm tuo deesse, ac non satisfacere honestissimo desiderio, Quamobrem hanc lucubratiunculam meam nūc ad te mitto, inuidorum detractiones cum hac mea obsequendi facultate pensaturus. Vale.

Louanij, Tertio Idus Ianna riaſ.

INSTITVTIO

CHRISTIANI HOminis, per Adrianum Barlandum Aphorismis digesta.

Prima adolescentia qualis esse debeat institutio.



Xacta in hilaritate, remissionéque ludorum pueritia, filium parens annum agentem ætatis septimũ, ad capessendas literas in scholam deducat. Et si bonum hunc habere cupiat ex se genitum, non ad luxum (vt vulgus parentum facit hodie) sed ad modestiam educat, non blanditijs emolliat: sed castigationibus cohibeat, piè, religioséque instituat. Plectat, si deliquerit: laudet si bene

obtemperantérque ſe geſſerit: minis ac verberibus à vitijs deterreat, exhortationibus ad virtutem accendat: magis de filij moribus, quàm ſanitate ſit ſolicitus. Præceptoribus committat eum humanis, grauibus, eruditis, non iracundis, non clamoſis, non indoctis, nō malè etiam moratis. Vbi iam literas, & Latinè loqui didicerit, ad ea ſe ſtudia conferat, quæ animum præceptis inſtruunt. In his Philoſophia eſt. Hæc ſola naturam ex bona meliorem, ex mala caſtigatiorem, correctiorémque facit. Aſſueſcat Chriſtianus & diſcat honorandum in primis Deum, vnde bona cuncta fluxerunt. Diſcat rationi parêre: eámque ducem ac moderatricem ſequi in omni vita, in omnibus dictis & factis. Nihil niſi quod honeſtum, quod iuſtum ſit, appetat, aut agat. Cogitationes quoque ipſas coërceat, quarum etiã ratio

Hoc eſt primum, & magnum mandatum. De omni verbo otioſo.

rationem eſt exacturus cordium iudex Deus.

Deum pijs gratificari, malos punire.

Credis Deo gratam eſſe iuſtitiã, eúmque vt cœli terræ que dominum & conditorem veneraris, precibus fatigas aſsiduis, noctes diéſque nomen eius laudibus proſequeris, & id perpetuò agis, vt bonis hunc tibi demerearis & iuſtis operibus? Nihil dubites, quin vt poteſt, ita & gratificari velit. Quid enim huic magis quàm beneficentia conuenit? Rurſus quid alienum magis, quàm ingratitudo? Vult igitur piè ſanctéque viuentibus præſtare aliquid ac vicem reponere, ne quis ingratum dicat: vt facinoroſis, adulteris, parricidis, raptoribus verè iraſcitur. Cúmque nullum videt eſſe peccandi finem, exurgit tandem ad ſceleribus tot inquinatorum vltionem, delétque nocentes.

Iram quandam iustam, vtilem, ac necessariam esse.

Irascimini, et nolite peccare. Serui, liberi, discipuli, quos in potestate habemus, delinquunt. Irascimur, clamamus, verberibus coërcemus. Hæc ira peccatũ non est. Bono enim viro non potest non displicere prauũ quod est: & cui improbitas displicet, cõmouetur, si quos viderit delinquẽtes. Exurgit igitur ad vindictã parẽs. Virgas præceptor expediri iubet, nõ quòd læsus sit ipse, verũ vt disciplinã seruet, mores corrigat, licentiã cõprimat. Hac iusta ira homines in subditos, & in peccatores ad prauitatis correctionem vtitur Deus.

Vitiosam esse in peccatis iræ cohibitionem,

Reprehendẽdi sunt vehementer, qui in subditorũ sceleribus iram cohibentes, aut sæpius quàm oportet, aut semper ignoscunt. Per tales, siue patres, siue dominos, siue magistros, & vi

&vita illorum perditur, quorum per intempestiuam eiusmodi lenitatem ad maiora flagitia nutritur audacia iuuenilis: & qui sic præsunt sibiipsis, perpetuam molestiarum materiam subministrant. Hîc igitur non cohibebimus iram, sed etiam, si iaceat, excitabimus.

Actævitæ faciendum esse rationarium.

Rationariũ, sibiquisquefaciat eorũ quæ accepit, quæ expenderit, quæ vtiliter beneque loquutus sit, quod otiosum verbum protulerit. Quid auditum ab aliis per aurium velut ianuas admiserit. Quin & regulę quędam siue canones linguæ sunt imponendi: sic, vt prius verba intra os ad limam veniant, quàm proferamus sermonem. Ita compescenda mens est, ne quid noxium exeat ac pestilens. Et si quid fortè illatum foris, id est statim abiiciendum, ne noceat. Si quid intus natum fuerit: mox

Non quod intrat per os.

mox id ſtudio, aut pia aliqua cogitatione effugere curabimus.

Viatica futuræ vitæ paranda.

Vt qui in longinquam regionem profecti, prius aliquantò quàm domum redeant, itineri neceſſaria corradunt, ne fame pereant: ita & nobis in huius vitæ peregrinatione faciendum. Reponenda ſunt bonorum operum, iuſtitiæ, humilitatis, continentiæ, & cæterarum viatica virtutum: vt quocunque tempore, quocunque die, quacunque nos hora Deus euocauerit, quod ad patriam ducit iter ingredi, paratos inueniat.

Et vos eſtote parati. Matt. 25

In hac vita abluendas eſſe peccatorum ſordes.

Per confeſsionem ablue peccatum tuum Chriſtiane. Qui enim in hac vita quæ peccauerit, abluere recuſat: poſteà conſolationem non inueniet: poſt mortem enim quis confiteb

fitebitur Domino? Hîc confligendum, hîc certandum eſt, niſi quo tempore laborum præmia dabuntur, confundi malis.

Vitandum eſſe ſcandalum.

Si virtutem exercueris, videntes id alij, non te ſolùm laudabunt, ſed & Deum glorificaturi ſunt. Cúmq; hæc fecerint, & tuæ retributiones augebuntur, & multum tibi bonorum concedet Deus, quod per bonum opus tuum ab illis laudatur. Stude igitur modis omnibus, ne cui ſis offendiculi occaſio. Paulus dixit: Si cibus offendit fratrem meum nunquã in æternum carnem comedam

Mat. 5 Sic luceant opera veſtra. Vamũdo à ſcandalis.

Doctrinæ opera iniungenda eſſe.

Nemo debet ſeipſo cõtentus eſſe. Vult enim Deus, vt & alios ædificemus: non doctrina tantùm, ſed & vita, & moribus, & conuerſatione homines malunt exempla, quàm verba. Non tam obſeruant quæ dicimus

mus, quàm quæ facimus. Non tam prosunt benedicta in suggestu, in scholis, in concionibus, quàm nocent ea quæ malè facimus. Factis verba, qui firmauerit, hic dignus habebitur, vt præsideat alijs. Beatus, qui fecerit & docuerit.

Mat. 5

Quæ facienda ieiunanti.

Ieiunium perfectum.

Vt verum, vt perfectum sit ieiunium tuum, iracundiam cohibeas, mansuetus sis ac lenis, cor contritum habeas: concupiscentiam fac repellas. Liberalem te præbeas in danda eleemosyna, nullum malum aduersus fratrem tuum in cor admittas oportet. Huiusmodi fuere tot sanctorum patrum ieiunia. Sic Hieronymus, sic Antonius, sic plerique alij in eremo ieiunauerunt. Vulgus ieiunare se existimat: si ante solis occubitum nihil cibi capiant, aut si pransi nihil posteà comedant. Hoc non quæritur: sed dum ieiunamus,

Ieiunium vulgi.

&

& ventri bellum velut indiximus, ciborum abſtinentiæ iungatur & à cæteris rebus abſtinentia, quæ nocere poſſunt, & maximos nonnunquam excitare tumultus.

Plurimum boni adferre humilitatem.

Si nos verè humiliauerimus nunquàm ira commouebimur, nunquã proximo ſuccenſebimus, nullius famæ obtrectabimus. Beati qui ſic ſe habent: ſoli in portu nauigant ab omni tempeſtate liberi, ab omni perturbatione ſecuri: ſoli affectionibus ſopitis, multa requie fruuntur. Id quod CHRISTVS ipſe futurum prædixit: A' me diſcite quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.

Quid faciendũ ieiunare nõ valentibus.

Ieiunare non potes? Largius erogato in pauperes: in precibus ad Deum fundendis: eſto feruentior, ad diuina audienda eloquia, & ſa-

medico inſpiciẽdum, qui animæ tuę curet & ſanet vlcera, neque exprobret. Accipe hîc remedia. Soli loquere. Dicito quid peccaueris. Cõfeſsio enim eorum, quibus grauiter Deum offenderimus, abolet etiam delicta. Prophetam audi loquentem: Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris. *Pſal. 5*

Animi curam non magno conſtare, vt corporis.

Leuis eſt ac facilis animi cura. Nihil enim, vt hic valeat, inſumimus, nec laboramus. Contrà, ſi corpus ægrotet, quid non impendimus nũc in medicos, nunc in res alias? vt de his nihil dicam, quæ præter vſum neceſſarium, luxu abſumimus. His nõ *Mat. 6* indiget anima, cui ſcripturarum lectio pro cibo eſt, veſtitus, eleemoſyna, & in pauperem largitas. Ornatus verò, quem & corpori apponere ſolemus, aſsiduę preces, confeſsio

peccatorum & lachrymæ. Manè vestiti faciem abluimus, ne quid sordidum hæreat. Quantò maiore est cura abluendus animus, vt hunc amabilem & formosum offeramus Domino?

Homo quis dicatur

Non qui os, nares, genas, & cætera membra ostendit: sed qui virtuti sit deditus, vitia fugiat, illicitis imperet & dominicis obtemperet mandatis, hunc hominem dicas. Priuant hominis appellatione peccatorem sanctæ Literæ: quo quid miserabilius? Nunc enim terra, quòd terrenis cogitationibus pareat: nunc ob salacitatem, equus: nunc ob mentis dolum
Matth 23 & malitiam, progenies viperarum dicitur.

Gratiarum actionem ad bene viuendum conducere.

Deo nihil acceptius esse potest, quàm si gratias egeris quotidie pro

tot

tot beneficiis, quæ illius benignitas ſuppeditat humanis vſibus. Apoſtoli vox eſt: Grati eſtote. Non ſunt tibi communia tantùm, quæ omnibus contulit hominibus: ſed priuata etiã cogitanda beneficia, próque his agendæ gratiæ. Memoria enim beneficiorum CHRISTI, optima eſt ad bene viuendum magiſtra. Hęc enim ſola in torporem incidere, ac malum ſectari non patitur: Hac item ratione à brutis homo differt, vt omnium conditorem Dominum laudet, celebret, glorificet. Maxima ſunt ea, quæ in nos iam contulit. Corpus & animam dedit: oues, & boues, vniuerſa pecora campi nobis produxit. Prophetas miſit, qui nos inſtituerent & prauitatem humanam corrigerent.

Poſtremò, creſcente in malum vehementius omni genere mortalium, diffuſis vndique ſceleribus, & quod

nequius est omnium, cultibus idolorum, miseratus genus humanum, in terras misit vnigenitum Filium suum, vt carnem indueret, & hominibus appareret, & nos peccatores sanaret. Hæc tanta Dei in nos beneficia dies noctésque cogitemus, vt assidua cogitatione ad agendas gratias mens compellatur.

Ebrietas mala.

Sensus humanos excæcat ebrietas, mentem submergit: & hoc animal, cui subiecit omnia Deus, velut mortuum iacere compellit.

Ridetur interim ab omnibus, vxore, liberis, famulis, digito monstrat vicinia tota. Amici, dedecus hoc suum existimantes, subducunt sese. Gaudent, irrident, execrantur qui malè volunt: pecudem, porcum, aut aliud quod sit fœdius, hunc talem vocitantes, Obnoxius dæmonio, si in obuios fecerit impetum, vestem ruperit, obscœni

ſcœni quippiam dixerit, venia dignus videtur: ebrius ſi quid tale faciat non modò ei non ignoſcitur, verùm accuſant omnes, noti, ignoti, amici, inimici, indignantur, imprecantur mala omnia.

Non in ædificiis parandam eſſe nominis memoriam.

Conſules, magiſtratus, vrbium præfecti, ſatrapę, Abbates, Epiſcopi, quanto nunc ſtudio ſplendidas, regúmque palatiis ſimiles domus ædificant? Hos ſi roges, cur in res huiuſmodi tantos faciant ſumptus, tantũ pecuniarum profundant: id tibi reſpondebitur, id audies: Vt nominis aliquam ſui memoriam relinquant apud poſteros: & à prætereuntibus dicatur, Hanc ille domum extruxit. Hæc arx, hæc tam ſplendida domus illius eſt extructa pecunia. O' ſtultitiam! O' curas hominum, quantum eſt in rebus inane? Hoc enim

consilio, hoc proposito ædificantes, non laudem,(vt ipsi existimant) sed crimen sibi pariunt.

Hæc enim & illis adhuc viuentibus,& iam mortuis audiuntur: Hãc domum,has ædes,hanc arcem auarus ille,rapax,& viduarum spoliator ille extruendam curauit.

Memoriam hoc pacto assequuntur isti,an perpetuis obiiciunt se criminibus? Si nomini suo consulere volunt, &, æternitatem ambiunt, viam ego istis aliam monstrauero, qua celebrentur &encomiis euehantur quotidie.

Si pecuniam extruẽdis villis,porticibus,ambulachris paratam,in eos erogare studuerint,qui verè pauperes sunt.Hac benignitate, hac misericordia,&nomen immortale sibi parauerint:& à peccatorum graui sarcina liberati,multam sibi apud Deum conciliauerint fiduciam.

Per

Periculosam rem esse ambitionem.

Tu qui Christum sectaris, primatum noli concupiscere, memor Paulini illius: Honore alius alium pręcedentes, date operam, vt in omnibus humiliemini. Qui sic agit, primatum habet: Christi enim vox est: Qui seipsum humiliat, exaltabitur. Humilé nunquàm dixero, qui natu maioribus, vel etiam æqualibus honorem exhibuerit: hoc enim debet, Vera est & absoluta humilitas ac modestia, si cedas his, qui te videantur minores. Verè sapit, qui se putat minimum, & omnium esse postremum. Sola enim hac via & ratione vtilitatem nobis attulerint, quæ fecerimus opera bona.

Ex luxu quantum mali.

Vis digna cœlo operari? Ne spectes ea, quæ sunt mundi huius: vitæ huius gloriam vanam ne quæras. Vides alios in vestium luxu occu-

patos? tu animæ curam agito, vt hãc virtutibus ornes. Delitias rideto: gulam & crapulam fugito. Non prandia canas & conuiuia, sed frugalitatem sectare.

Ex superfluis enim quid vtilitatis? quid commodi? Cõmodum iudicas fortasse, multum vorare, vinũ bibere, ac ventrem distẽdere: ac bonæ menti plurimum nocet immodica potatio. Non dici potest, quantum hinc malorum & corpori & animæ accersitur. Morbi hinc & membra distorta: hinc adulteria, stupra, rapinæ, cædes, latrocinia. Domi habes repositam auri vim ingentem? distribue verè pauperi. Serico indutus procedis in publicum? Digitos habes auro reuinctos? Parte huius pauperes quot ali potuerunt? In summa fieri non potest, vt quis & animę curam agat, & tanti faciat voluptates, & corporis ornatum.

Facite vobis amicos

Nemo potest duobus Mat. 6

Ma

Magnum bonum esse concordiam viri & uxoris.

Ibi diuitiæ, ibi magnæ ſunt facultates, vbi concordia eſt viri & vxoris. Tales enim etſi tenui re familiari, omnium tamen ſunt beatiſsimi: ſoli veram percipiunt uoluptatem, ſoli in maxima viuunt animorum tranquillitate. Sublato igitur per zelotypiam, aut aliis malis concordiæ bono, etiã ſi Crœſi poſsideant opes, miſerrimi ſunt omnium mortaliũ. Noui hîc quotidie tumultus, iurgia, ſuſpiciones, domeſtica & interna bella, multa amaritudo, nulla voluptas. Proinde, qui matrimonij vinculo iuncti, ac velut ſunt concatenati, velim nihil concordiæ, bonorũ omniũ radici præferendum exiſtiment: omnia ſic agant, vt pax & tranquillitas ſit in vna domo, ſub eodem tecto manentibus, in eodem quoque lecto quietem capientibus. Hanc pacem

comitabitur id bonum, vt filij ex eo matrimonio nascantur boni, & virtutis amantes. Ministri item, & tota denique familia religionem, pietaté, modestiam herilem imitari studebit. Ita fiet, vt per duorum concordiam, multiplex affluat vndique rerum prosperitas. Quid enim nó succedat diuinis posthabenti humana?

Inuitatio ad hospitalitatem.

Abiectus quispiá & vilis & pauperculus te adit, stipem poscit, hospitium rogat, admitte: & si habeas vnde alas, cibum appone. Hospitalitas hæc & negotiatio magnum tibi lucrum attulerit. Si tam diues non es, vt possis, aut etiam nolis, ne durè compelles petentem. Non cogit, nó vim facit aliquam: sed orat, supplicat, obsecrat. Habes vnde subuenias indigéti, neque subuenis, neque largiris quicquam, apud iudicé Deum quid dices? quo te pacto defendes?

Lau

Lautè vesceris, plus quàm vsus requirit insumis quotidie. Quantum hîc damni facis? quantum elabi sinis & excidere è manibus lucri? Aurum arcis inclusum rubigine absumitur, imò furibus auferendum seponitur, & proximus tuus fame perit?

Opibus abundas, & his solus vteris, imò ne vteris quidem, nec indigenti cõmunicas, & gehennę ignem te putas effugiturum?

Proximus tuus, frater tuus esuriẽs obambulat, & tu in delitiis agis?

Non subuenis, quanquam non multum petenti, nempe panis frustum, quo famem subleuet? Sub dio sedens hic frigore perit: tu holoserico indutus, clamantem, numulũ petentem, immisericorditer præteris.

Fieri posse, vt quis inter malos etiam bene viuat.

Sodomitis nefanda patrantibus, *Ge.19*

Lot

Loth in medio impiorum habitans, ſolus in tāta ſceleratiſsimorū hominum turba rectā viam ambulauit.

Non eſt igitur vera eorū ſententia, qui dicunt fieri non poſſe, vt qui in oppidis & hominum frequentia degunt atque verſantur, boni ſint, & virtutem cuſtodiant, ſed in ſolitudinem & loca deſerta ſecedendū eſſe, vt bene rectéq; viuatur. Neque hoc ideò dicimus, quòd ſeceſſum, quòd vitam ſolitariam damnemus: cōſtat enim ſanctè permultos in ſolitudinibus vixiſſe: ſed monſtramus ſobriè agere volentibus, nihil obſiſtere hominum frequentiam. Pigro & negligenti ſolitudo quid prodeſt?

Neque enim locus, ſed mens & mores bonū faciūt. Vellē ſicut Loth erat præſtantes virtute vnum & alterū in ciuitatibus eſſe, qui quaſi ſcintillæ quædam in medio lucentes, ad ſui alios imitationem traherent.

Plu

Plurimum conducere viuentibus etiam, illorum virtutes, qui multis retro seculis obierunt.

Hominis Christiani hoc vnum sit studium, huc omnes eius spectent conatus, vt bene viuendo, rectè agẽdo memoriam sui relinquat, non ad inanem gloriam, quod in suis poëtæ studiis & carminibus fecerunt: sed vt posteaquam hinc migrauerit, diligentem eius & accuratam vitæ conuersationem, tanquã monumẽtum & doctrinã habeant posteri in quã asiduè spectent. Vir bonus enim & iustus & castus non modò quum caducum, hoc est, & mortale corpus circunfert, verùm etiam post hanc vitam, vbi terras reliquerit virtutum exemplis multum prodesse potest, eadem facere, ad eundẽ viuere modum volentibus. Vt quisque sciat & intelligat, quantum exempla & bona aliorum opera, ad bene agendum

accendant: ſi quis ad continentiæ & caſtitatis æmulationem ſit prouocandus, memorabile & inſigne Ioſephi Iſraëlitæ factum adferemus in medium: qui eleganti forma iuuenis, in ipſo virtutis flore mirabilem præ ſe tulit caſtitatis conſtantiam. Quis enim non hunc miretur in lubrico ætatis, maximè quo tempore accendi ſolet concupiſcentiarum fornax, à Putipharis, qui Pharaonis in Aegypto Archimagirus erat, vxore ſtupri compellatum, & iam ad patrandum ſcelus apprehenſum, relicto in manibus eius palliolo, quo indutus fuerat, nudum ſeſe ad fugam expediſſe? Nouum profectò & omnibus ſeculis admirandum ſpectaculum. In leænæ vngues inciderat agnus, & ſeruatus eſt.

Ioſephi inſignis caſtitatis conſtantia.

Ex magno in Deum amore naſci charitatem in proximum.

Seruiuit Iacob pro Rachel annis

ſeptem

ſeptem: & erant coram eo quaſi dies pauci, eò quòd ipſe eam diligeret. Hoc audi ignaue Chriſtiane & in Deum ingratiſsime. Iuſtus ille, vt cuius accéſus erat amore, puella potiretur, ferre omnes paſtoralis vitæ conſtituit ærumas: cubare ſub dio, inediam pati, pluuias, ventos, frigora, niues contemnere. Quid te excuſabis, qui non pari amore bonorum omnium largitorem Deum proſequeris? Qui nihil requirit à te aliud, quàm vt ipſum diligas ex toto corde. Quod ſi feceris, nec fratrē tuum deſpicies, memor verbi illius dominici: Qui fecerit aliquid vni horum minimorum, mihi fecit. Effundes magis liberali mente indignis facultates tuas; quaſi deponēs eas in manus domini IESV. Qui quod ſemel accepit, non ſolùm redit, ſed multiplicatum nobis & auctū largitur.

Matt. 25

Optimam esse eleemosynam, cui alias virtutes adiunxeris.

Vis tibi prodesse, quum ex substã tia tua facis eleemosynam? Reprimendæ omnes carnis affectiones, eliminandæ sunt tibi ex animo illicitæ concupiscentiæ, mala cogitatio, ira, inuidia. In quorum locum succedant virtutes.

A multis peccare per iram, per libidinem, quia nesciant fines bonorum ac malorum.

Deus corpori humano varios dedit sensus ad vitæ vsum necessarios: ita & animo varij sunt attributi affectus, queis constaret vitæ ratio, libido gignendæ gratia prolis data est. Ad cohibenda delicta est iræ datus affectus. Verùm (proh dolor) quàm multos videas, qui fines bonorũ ac malorũ ignorãtes, libidine vtuntur ad opprimendas virgines, ad nefandos coitus? Ira vtuntur, vt noceant iis

iis quos odio habent. Hinc ad maxima quotidie facinora procurritur: hinc certamina inter homines, pugnæ, contentionésque naſcuntur.

Multorum mores ac vitam cum ætate mutari.

Multos ætatis progreſſus reſipiſcere videmus quotidie: vt ex peccatoribus iuſti, ex malis boni, ex improbis continentes fiant. Vidi multos in adoleſcentia ſcortatores, aleatores (nolo dicere peiora) qui tamen poſteà laudabiles extiterunt.

Deum nulla re alia, quàm morum emendatione placari.

Numen ſceleribus noſtris iratum, placat morum emendatio, non tura, non hoſtiæ, non pretioſa munera, quæ omnia corruptioni ſubiacere videmus. Facere vis mortalem Dei iram? Malè facere deſinito. Deus ideò in præſenti vita quæ malè facimus non punit, vt reſipiſcendi

facultatem habeamus.

Deum amandum & metuendum esse.

Amemus Deum vt patrem, vereamur vt Dominum: honorem exhibeamus vt benefico, metuamus vt seuerum. Pij esse non possumus, si animarum parentem Deum non diligimus. Nec sine periculo contemnitur, cui rerum conditori ac domino in omneis homines vera est ac æterna potestas. Pater est, vt qui ortum nobis ad lucem, qua fruimur, subministrauerit. Deus est, cuius benignitas nihil non suppeditat vsibus nostris. Hic solus alit, sustentat solus. Huius esse domum in qua habitamus, huius nos esse familiam, negare non possumus.

Nihil esse fidem sine operibus.

Ex Chrysostomo.

Doctus es, vitam negligis. Quid tibi doctrina prodest? Rursus vitæ curam geris, in fide claudicas. Ne

ita

ita quidem seruari potes. Qui audit, idemque facit, hunc prudenti viro assimilabimus.

Fratrum curam habendam esse.
Ex eodem.

Cuiusque officium est, proximū errantem à peccato ad virtutem velitt manu ducere. Deus ipse hac caussa nostram carnem indutus, mundum ingressus est. Multa tulit, fecitque puer, sudauit, & alsit, mortem denique suscepit: vt humanum genus peccatis obnoxium redimeret. Cuius nos exemplo adesse proximo debemus, agnoscentes hunc vt membrum nostrum. An non quæso ex diaboli faucibus eripitur frater, qui sana cuiuspiam doctrina in viā virtutis reducitur, & facit rectā? Qui diues, ipse pecuniam suppeditat indigenti; largiter erogat in pauperes? maius tamen est illius opus, qui monendo asiduè, docen-

doque segnes ac vitijs deditos, in viam rectam inducit.

Qualis vxor quærenda.

Quo tempore olim sitis habendi, & auaritia nondum sic inualuerat, si cui honestè nato adolescenti vxor quærebatur, non de multa substantia, diuitijs, agri iugeribus, formæ elegantia quæstio erat; sed quàm esset proba & morata puella, quæ adolescenti nuberet eiusmodi. Et nunc hoc tantum quæritur: Quàm diues, quantam expectet hæreditatẽ: iuxta illud Satyrici: Protinus ad censum, de moribus vltima fiet quæstio. Imò plerunque nulla quæstio, Placet superba, placet improba, si diues est, si pecuniam habet, si multa possidet agri iugera.

Cur mortis diem nobis incertum esse Deus voluerit.

Hominem ideò Deus fati diem

sui

ſui ignorare & neſcire voluit, vt aſ-ſiduo virtutum ſtudio & vigilantia præpararetur. Dicit ille: Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam. Atqui homines omnino diuerſum agunt. Iuſsit ille vigilare, & dormiunt nihil agentes boni. Dormiũt igitur in virtutibus, vigilant in vitijs. Quod genus hoc hominum? Quàm multos paſsim videas in malis nimium ſtrenuos, in bono ſegnes? Moriuntur, abeunt, decedunt quotidie multi tam iuuenes, quàm ſenes, neque parcitur vlli: tamen nec ſic quidem ad virtutis ſtudium adducimur, neque nos ita paramus, vt deſpectis præſentibus, futura deſideremus.

Puerorum curam habendam eſſe.

Parentes, filios veſtros continentiam docete. Malè enim agendi conſuetudo, vbi temporis progreſſu vires ceperit ac inualuerit, nulla vin-

citur admonitione. Tum quasi in captiuitatem abducta iuuetus,quocunque malignus vocârit spiritus, it: hunc nihil nisi perniciosum imperantem sequitur, huic paret præsentis tantùm voluptatis respectum habens,de futuris cruciatibus nihil cogitans. Manus igitur præbete pueris vestris, aliôqui pro peccatis & sceleribus eorum ipsi pœnas luituri. Venientibus semper malis occurrere est optimum. Serò medicina paratur, Quum mala per longas conualuêre moras. Qui liberos habetis, curate vt honestè educentur. Præceptores quoque,& qui alij pueros domi alunt, curam eorum agant, lucrum maximum esse putantes, vtilitatem & salutem proximi, doceant eos quæ ad bene viuendum pertinent. Peccata tum effugere doceant,ad virtutem capessendam hortentur.

Filijs

Filijs thesaurizare periculosum esse.

Diues auare, vt quàm plurimum relinquas, perpetuò congeris. Agros emis, ędificas, diruis, mutas quadrata rotundis. Vtq́ue hæc diutius facias, ab alijs rapis, alios fraudibus circunuenis, alijs negotium facessis. Et si quis roget, cur hæc facias, cur quęrendæ pecuniæ post omnia ponas, filios prætexis. O cæcitatem! O insaniam! Non vides, non sentis has liberis tuis diuitias, malè viuendi materiam & occasionem relinqui? Si per ipsam hæc ætas ad libidinem, ad luxum, cæteráque vitia procliuis est, quantò magis accedente iam rerum omnium affluentia ad malum procurrit? Nunquámne vidisti ignem, simul ac fomitem inuenerit, flammis exurgere validioribus? Ita & iuuenilis totus accenditur ad peccandum animus, per irritamenta malorum, diuitias.

Qui pauperes Deo, qui diuites.

Si illud non agitas, si nó huc contendis, vt iustitiam habeas, pauperes, etiam similia frumenti tua triuerit area centum. Deo solus diues, qui virtute præditus est. Huic vis esse egregius? bonitatem & innocentiam præsta. Vis esse clarissimus? opera misericordiæ largiter facito. Vis perfectissimus esse? omnes virtutis gradus impleas oportet: hoc est, vt malis operibus, malis verbis, rerum denique malarum cogitatione abstineas.

Quis homo verè sanus.

Si oculis, capiti, pedibus, lateri, reliquis omnibus membris bene est, vulgus te sanum iudicat. Philosophus nihil minus, si ira exasperaris, superbia tumidus inflaris, libidini seruis, cupiditatibus inardescis, auaritia prosterneris. Ita sanum te dixerit ille, si non attollas ad

alienam felicitatem oculos. Inuidus alterius rebus macreſcit opimis. Si diuitias nõ admireris, alienam vxorem ſanctè videas, nihil omnino appetas, non concupiſcas alienum, nõ faſtidias quenquam. Humilem te, miſericordem, beneficum, mitem, humanum exhibeto, pax in animo tuo perpetua verſetur. Qui ſic vitam hanc traducit, Philoſophus ſanus, iuſtus, perfectus eſt ille.

Opera miſericordiæ.

Verè miſericors eſt, qui ab hoſte captos redimit, ægros pauperes viſitat, fouet inopes, pauperes ſi obierint, inſepultos iacere non patitur. A potentiori oppreſſos eruit, tecto indigentibus domum aperit, hoſpitio excipit, pupillos defendit & viduas. Hæc opera qui fecerit, verum & acceptum immolauerit Deo ſacrificium.

Pœnitentiæ auxilium.

Conſerua domum tuam immaculatam, omni labe pectus euacua, vt templũ & hoſpitiũ Dei eſſe poſſit: quod nec auri nec eboris nitore, ſed fidei & caſtitatis fulgore illuſtratur. Sed audio quid dicas: Difficile hoc eſſe homini, nec humanæ pati conditioné naturæ, vt quiſquã ſine macula viuat. Hoc igitur ſuadeo vtédum eſſe remedio, vt ad pœnitentiã confugias, quæ non minimũ & poſtremũ occupat inter virtutes locũ. eſt enim hæc ſui correctio, vt cũ fortè aut re aut verbo lapſus fueris, ſtatim reſipiſcas, & te deliquiſſe fatearis, oréſque à Deo veniam, qui pro ineffabili ſua miſericordia non negabit, niſi tu in errore perſeuraueris. Magnum eſt pœnitentiæ auxilium, magnum ſolatium. Hæc vulnera, hæc peccata noſtra ſanat: hanc ſpem, hanc portũ ſalutis habemus,

Vbi

Vbi & qualis pietas.

In eius pectore pietas habitat, qui bella nescit, qui cum proximo concordiam omni studio seruat, qui amicus est etiam inimicis, qui omnes homines tanquam fratres diligit, qui cohibere scit iram, omnémque animi furorem tranquilla moderatione lenire.

Omnia quæ improbè fiunt, ab his tribus oriri affectibus: ira, cupiditate, libidine.

Cohibenda ira, compescenda cupiditas, refrænanda libido. Ita enim vitium fugeris. Nam omnia ferè quæ iniustè, atque improbè facimus, ab his tribus fluunt, & proficiscuntur affectibus.

Omnes hominum contentiones sopientur, impetus iræ si retundatur. Neminem insidiari, neminem prosilire ad nocendum videbis.

Cupiditatem si cõpescere studuerimus

rimus, nemo terra, maríque grassator metuendus erit, nulli educentur exercitus vt rapiant & vastãt aliena.

Libidinem si quis studeat compri mere, & iuuenes, & senes, & viri, & fœminæ, prophani & initiati, suam retinebunt sanctitatem. Huc agi nemo poterit, vt quicquam pudendum aut patiatur aut agat.

Sepulturam non valde curandam esse.

Quis non eos vehemẽter damnet, qui patrimonia in res superuacuas prodigentes, marmorea sibi statuũt sepulchra? Mihi certè videtur isti bona sua in terram sepelire. Neque opera eiusmodi memoriam aliquam aut æternitatem nominis, quæ fortasse quæritur conferunt.

Nam aut vnus disſipare motus terræ, aut fortuitum hæc potest consumere incendium, aut hostilis aliquis impetus diruere. At si nihil horum eueniat, certè conficiet & consumet

ſumet vetuſtas. Meritò igitur quis eos reprehenderit, quibus ſunt talia curæ.

Ne dicas miſerum, qui in terra aliena, in ſolitudine, in loco obſcuro, addam, neque in lecto deceſſerit, ſed qui in peccatis mortuus eſt.

Ridicula ſunt & illa, morienti neque cognatus, neque affinis, neque amicus adfuit: Tum omni ſepulturæ ac funeris honore caruit. Nihil hinc ille damni accepit. Multorum quoque prophetarū & apoſtolorum ſepulchra in terris ignorantur.

Dole, ingemiſce lachryma, ſi nondum lotus ab iniquitate tua deceſſerit amicus. Eſt enim mors peccatorum peſsima: gaude, ſi purus ab omni crimine & mundus, mundum reliquerit.

Nam pretioſa in conſpectu domini, mors ſanctorum eius.

Tranſeunt enim in vitam meliorem

rem, vbi suorum accipiunt præmia laborum.

Sacerdotum opes ad quem vsum relicta.

Cardinales, episcopi, abbates agros hodie, villas, vicos, vrbes quoq; posside ntes relicta, hæc sibi existiment, non vt seruiant voluptatibus, sed miserorum necessitati subueniant.

Hoc in genere multum probandi sunt, qui pecunia & opibus suis, adolescentes, quorum res domi angustior, & in quibus vis ingenij & indoles aliqua ad virtutem prælucet, bonis artibus instituendos curãt: vel illud exercent liberalitatis genus, vt inopes, & omni humana ope destitutas mulieres adiuuent.

Nihil enim Deo acceptius, quàm prohibere ne mulier inopia, & cognatorum negligentia coacta, se prostituat.

Equi

Equidem nescio quales sint Episcopi & Abbates, qui tot possessionum se dominos, non dispensatores esse putantes, omni posthabita egentium & bonorum cura ingeniorum, congesta ex agris, nemorúmque prouentibus annuis pecunia, auream, argenteámque supellectilem comparant. Phaleratos equos, canes venaticos, ab extremis etiam terris magno ære quæsitos, & greges domi pessimorum alunt assentatorum.

Si vera loqui permittimur: his moribus factum est, vt vulgus hoc tempore non solùm eos, verùm & alios sacris initiatos viros odio prosequatur plus, quàm Vatiniano.

Pulcherrimam esse virtutem modestiam, & Deo gratissimam.

Vis antiquorum imitari modestiã patrum? Vide ne extollaris, ne de te sublimia sentias: verùm modestia conspicuus cede aliis, & infe-

rior haberi conare: ne his aduerſeris, qui iniuriam fecerint. Contumelia affectus ipſe, ne ſis ferox, etiam ſi te contemptior ille, qui malè fecerit. Manſuetudo & lenitas furorem comprimant.

His virtutibus id aſſequeris, vt ab omni liberatus amaritudine, multa fruaris quiete.

Qualis oratio noſtra, quales ioci eſſe debeant, & conuiuia.

In omnibus quæ dicis aut facis, animum oportet habeas à perturbationibus liberum, ne libidine aut metu aliquo commoueare, ne quid in ſermone cupiditatis, aut pigritiæ, aut ignauiæ appareat.

Ludo quoque ac ioco ſic vtere, vt omnis abſit petulantia, & verborum obſcœnitas.

Præceptis parendū eſt, quibus iubemur, vt neque turpibus, neque gaudeamus obſcœnis. Damnatur

&

& Veneris vſus omnis extra coniugium, extra viri & vxoris coniunctionem.

Vt de vitio quoque palati aliquid dicamus, prohibentur & comeſſationes & intemperata conuiuia.

Ad miſericordiam exhortatio obiurgationi commiſta.

Pleriſque noſtrum ſuperuacua & otioſa domi eſt pecunia. Nulla Euāgelica lectio, nullus Hieronymus, nullus Auguſtinus, nullæ tot ſanctorum lucubrationes patrum de contemptu rerum huiuſmodi ſcribentium huc nos poſſunt adducere, vt aliquam hinc portiunculam diſtribuamus fame laborāti, gelúque rigeſcenti proximo. O dura, O ſaxea pectora! Quibus nos oculis iudicem Deum intuebimur: cuius tam neglectui mandatū habuerimus. Nō mandat vt abiiciamus noſtra omnia: frui permittitur.

Cúmque nostro satisfecerimus vsui, tum eorum curam agamus, qui sunt verè pauperes, nulli nostrū misericors Deus in hoc largitus est diuitias, vt in arculis & promptuariis seruentur, imò putrescant: sed vt nostra abūdātia, aliorū subleuetur inopia.

Tantum huic numorum in prandiis, lautísque cœnis, illi in vestibus, alij alio luxu quotidie profunditur. Frater mendicus interim, qui ob ætatem ingrauescentem, aut aduersam corporis valetudinem labore manuum parare sibi victum non potest: is inquam frater nihil horum à nobis petit, sed tātùm vt famem sedet, vt viuat, & non pereat. Nos qui precibus huius, & lachrymis non mouemur, non flectimur, quid iudici Deo excusabimur?

Hominum gloriam non esse ambiendam ex opere bono.

Vis boni quippiam operis aggredi?

di? Vide ne facias ad hominum gratiam, sed vt te laudet oculus ille, qui nunquàm dormitat.

Si enim ab hominibus laudari studes, indignum te reddis qui à Domino lauderis. Vtrunque nocet, perniciosum est vtrunque in opere bono, si quis humanam spectet gloriam, & sublimia de seipso sentiat.

Quid aliud quæso, quàm miserabilem hunc & miserum verè dixeris? Hæc vna perniciosissima affectio deteriorẽ fecit Publicanum Pharisæo.

Quicquid igitur feceris operum bonorum, semper illud CHRISTI ad discipulos in ore habeto: Quando omnia feceritis, dicite: serui inutiles sumus.

Obiurgatur auarus.

Quousque ita insanis in congerendis opibus?

Quis te furor? quæ te rabies agitat vt nunquam satieris habeasque

non secus, quam ebrij?
Nā vt illi quò plus biberint, quò plus vini ingurgitauerint, hoc sitiūt magis: ita nimirum & tu auaritiæ subiectus tyrannidi, nullum facis cupiendi modum.
Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.
Quò plus affluit opū, hoc magis apud te inualescit habēdi cupiditas.
Quid vtilitatis hinc accipis rogo, si totum mūdum lucreris, animæ vero tuæ detrimentum patiaris? quam interim auaritia expugnat, excoriat luxuria, cōfundit iracundia, & aliis multiphariam quotidie vexatur affectionibus?
Quid in pœnitentia quærat Deus.
Nihil aliud à nobis peccatoribus requirit Deus, quam vt à peccato quiescamus. Pro præterito rationem non exigit, si nos videat resipiscentes.

Hic est enim qui quotidie clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.

Hic est ille qui dicit: Adhuc te loquente dicam, Ecce adsum. Non sic ipsi sumus nostræ auidi salutis, vt ipse qui vult omnes homines saluos fieri. Vnum requirit, vt peccata nostra confiteamur, confessià malefactis temperemus.

In templo qui mores seruandi.

Illud quoque meminerimus, in templo Dei vanis colloquiis, nugis inutilibus, iocis & risu abstinēdum esse, maximè quum sacerdos diuina peragit officia.

Qui ab iis non abstinent, offendunt grauius, quàm quos Dominus flagello eiecit de templo: grauissimè verò peccant, qui in domo Dei non aliter, quàm in prostibulo versantur.

Nolo dicere, quæ in sacris etiam

locis patrare, & admittere audeat hominum improbitas.

Orationē peccatoris infructuosam esse.

Quòd plerunque Deum patrem orantes non exaudiamur, in causa sunt peccata nostra. Quia iniquè agimus,& ad iracundiam sceleribus nostris quotidie Dominum prouocamus,idcircò inexorabilis est.

Frustrà enim oramus, si à vitiis nostris non discedimus: luxuriari, fornicari non desinimus, aut aliud agere,quod diuinæ legi contrarium sit. Deo supplicantes, in corde aduersus proximum odij facibus ardemus. A`Deo amari volumus, & homini,quem Deus ad imaginē suam fecit, quem sanguine suo redemit, irascimur.

Omnis remittenda offensa est, placādus qui aduersum te indignatur. Tunc demum offeres ante altare munus tuum.

Non exaudiet nos Deus, nisi charitatem, quàm debemus omni homini, in nobis viderit.

Ab eodem reiicitur & oratio, quæ non eò spectat, vt soli Deo placeamus. Siue enim corporis valetudinem, siue alia vitæ necessaria petemus, semper in hoc petenda sunt, vt adepti ea, expeditius Domino seruiamus.

Malam esse somnolentiam.

Non sit longior somnus, quàm natura postulat. Diutius enim dormiendo bene agendi tempus perditur, & promptiores ad vitia reddimur. Bene dictum à quodam:

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.

Nam somno dediti, à luxuria libidinéque vix abstinent. Hominis vocabulo dignos iudicauerit nemo, qui quum horas plures dormiendo perdiderint, experrecti, nondum loti, nondum pexi ientacula poscunt;

prandia deinde parari iubent, & priusquam bene hesternã edormierint crapulam, nouis ac recentibus se ingurgitant, iterum totam noctem & insequentis diei meliorem partem somno daturi. Vigilandum igitur, orandum, studendum, manibus laborandum, ne intremus in tentationem, ne nihil agentes, ad conuiuia, & comessationes trahamur, ad alia quoque vitia solicitemur. Nulla re alia facilius, quã labore obruuntur libidinis incitamenta.

Qualem eum oporteat esse qui populo Iesum euangelizat.

Vos qui in ecclesia Dei ad populum declamatis, operã date, vt præceptis respondeant opera. Qui enim fecerit & docuerit, is magnus vocabitur in regno cœlorum. Vis aliorũ delicta efficaciter arguere? fac in te non inueniant alij quod redarguãt. Humilitatem doces? ipse mitis esto.

Ad patientiā hortaris?ab ira cundia recede. Stupra detestaris & adulteria? castitatem serua. Iustitiā doces, & in vitia inueheris? nihil improbè vt agas, vide. Laudis quoque humanæ vitanda tibi captatio est, non iactandum ingenium, non variarum rerum ostētanda cognitio, vt in suis prælectionibus facere consueuerunt Poëtarum & oratorum interpretes.

Vitandam esse detractionem.

De absentibus aut tacendum, aut amicè loquendum & ciuiliter. Magnam partem simultatum inter homines constat oriri ac nasci ex linguæ intemperantia. Bonum nomen si melius est quàm diuitiæ multæ, grauius peccat qui famæ obtrectat aliorum, quàm qui bona diripit, & innoxios exuit opibus. Abominatio hominum, detractor. Dauid eos detestatur, quum ait. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar

bar. Si quando in huiuſmodi hominem incideris, ne præſtes aurem, os auertas. Vbi ſycophantiis ſuis offendi te nugator animaduerterit, pudore confuſus obmuteſcet. Ventus Aquilo diſsipat pluuias: & facies triſtis linguam detrahentem.

*

FINIS.

